




MOSEL
LANI
PAEDO
LOGIA


ARGENT.
1529





















CAPÉ











PAEDOLO GIA PETRI MOSELLANI PRO
tegensis, in puerorum usum conscripta & aucta.

DIALOGI XXXVII.

DIALOGI
PVERILES CHRISTO
phori Hegendorphini XII.
lepidi æque ac docti.

ARGENTORATI.



PETRVS MOSELLANVS, IOAN-
ni Polyandro Lipsiæ apud diuum Thomam
Ludimagistro suo S.

Es tu quidem mi Ioannes iam annos multos re ipsa expertus, quanta cũ difficultate, & quàm sero, infirma puerorũ ætas, ad latinitatis antiquæ imitationem perueniat. Nã cum post prima rei grãmaticæ rudimenta tenera ingenia statim ad latini sermonis usum adigantur, nec tamen ulla eis uia ad hãc rem demõstretur, fit, ut dum utcumq; quod iubẽtur, præstare conantur, nouam quandam loquẽdi rationẽ, plane barbaram, & per uernaculi sermonis uestigia ingredientem, inter se sibi ipsi confingant. Quod uitium rudibus animis, & per hoc tenatioribus primum impressum, postea nulla arte deleri potest. Atq; hæc caussa mihi uidetur quòd non Germani solum, sed et Itali, qui nobis hac parte feliciores uideri uolunt, sermone quotidiano immundo adeo & parum proprio, utuntur. Videas enim bonam partẽ eorũ, qui hodie linguam latinam profitentur, in loquendo nihil minus spirare, q̃ natiuũ illum, & incorruptum Romani sermonis odorẽ. Vt candidißimæ eloquentiæ scriptor Fabius, de extemporali orationis facultate frustra scripsisse uideatur. Quid? quod hoc malum grauioris etiam ætatis profectibus omnem aufert gratiam? Alioqui qua caussa male audiunt apud

Quintilianum, & item Gellium ὀψιμαθεῖς, nisi quod à teneris, ut aiunt, unguiculis, optimis nõ sunt adsueti. Obuia quæq; in authoribus citra delectum, in suũ usum conuertunt, ut dictio eorũ oĩs, non propria et domi suæ nata, sed è uarijs scriptoribus, hostiatim quasi mendicã do cõgesta, delicati iudicij hoĩbus nõ poßit non putere. Hæc quum tu non minus acute q̃ grauiter perpenderes nihilq́; haberes potius, quàm puerorum, q tuæ fidei sũt concrediti, rudem & ad omnia sequacem animum ad optima quæq; perducere, mecũ egisti sæpe, ut loquendi formulas aliquot, quibus ea ætas uti posset, conscriberem. Diu, ut nosti, sum reluctatus, partim quòd ipse grauioribus occupatus, hanc operã utilißimam qdem illã, sed in speciem tamen humilem, & penè sordidam dedignarer, partim quòd, quia in ludis eiusmodi ipse non admodũ essem uersatus, uix possem eam quasi personã cũ decoro gerere. Videbam enim ad hanc fabulam agendã opus fore denuo repuerascere, & ut ait Flac. Ludere par impar, equitare in arundine longa. Sed, cũ tu rogandi finem faceres nullum, pariterq́; te, qui probe puerorũ sensum calleres, si qua nobis hac parte deessent, suppleturũ promitteres, uolui quãuis calumniam subire potius, q̃ uel tibi amico tũ synceriter amanti, tũ prudenter roganti, quicquàm negare, uel meo pudore publicũ pueritiæ commodum diutius remorari. Iam si qs est, qui uehementer putet indignum, has, sicuti prima

frõ

fronte uidentur, nugas, in chartarum pernitiem scribi, is mihi uirum paulisper exuat, & in puerum redeat, cogitetq́; iam primum sibi latini sermonis usum discendum. Statim opinor uidebit, quàm facile, & nullo penè negocio per eiusmodi fabulas, uelut quosdam gradus, ad Terentij proprietatem, ac Ciceronianam facilitatē prima illa ætas traduci potuisset. Quis aūt laturus esset, imò quis non statim exibilaturus, si ex puerili persona tetricam istam senum sapientiam sonarem? Tametsi sunt his nugamentis nostris admista quædam, quæ seria ducere uideri poßint, Vsq; adeo, ut & hoc nomine ab Aristarchis istis uix tutus sim futurus. Sed malui ego decori paulisper oblitus, paucula subinde aspergere, quæ si pueris suis literatores prælegant attente, queant cum studiorum abusum tollere, tū pueritiæ mores ad Christianam regulam corrigere. Hos labores tibi mi Polyander, dicare uolui nominatim, ut qui autor nobis et adiutor ad hæc scribenda fuisti, idem quoq; suscipias, quicquid id est libelli, tua facundia, authoritate ac gratia tuendum. Quod si ex hac editione ad te impulsorem, et me scriptorem, aut nulla, aut tenuis admodum gloria redibit, solemur nosipsi per hoc, quòd nullo popularis auræ pruritu, sed pio & simplici animo, uterq; nostrum hoc negotium tractauimus, tu adhortando ego scribendo. Siquidem iuuare studuimus saltem aliquos, nocere nemini. Bene uale. Lipsiæ, ipsis ferijs diui Matthæi apostoli. Anno M.D.XVII.

DIALOGVS PRIMVS.

GASPAR ET MODESTVS, *de nundinis fabulantur.* GAS.



Ge uero Modeste, quot dies hinc absunt nundinarum feriæ, quibus frequentes adeo huc peregrini adueniunt mercatores? MOD. *Dies, ni fallor, quattuordecim, nam accurate singulas ferè horas ad calculum uoco, siquidem, nullum tempus totius anni cupidius expecto, quàm nundinarum.* GAS. *Non iniuria, quãdoquidem hæ feriæ partim nũcios, partim literas, parti omnibus literis gratiores pecunias, nobis adportãt. Quod si non & mihi iam plane exhausto, proximæ nũdinæ argenti subsidium attulerint, non potero hic diutius durare.* MO. *Pecunias quidem, id quod satis scio accipiam nullas, pannum tamen in uestem hybernam, se discedenti mihi missurum promisit pater.* GAS. *Vtinã uterq; uoti compos fiat, ut & tu commodius uestitus, et ego numatior, urgẽtis hyemis iniurias minori negocio propulsare queamus.*

DIALOGVS II.

OSVVALDVS ET MICHAEL. De *natali celebrando, de receptis pecunijs, deq; bono cuiusq; genio.*

NOn tu hodie tuum natalem celebras, atq; nos tuos sodaleis conuiuio excipis? An ignoras hunc diem diuo Michaëli, cuius tu nomen refers esse sacrum? MICH. Scio equidem, quid autem facerem, quãdo ne obulum quidem habeo quo panem emere queam, nedum conuiuia agitarem? OSVAL. Non his nundinis à parẽtibus tibi numi sunt missi? MI. Sunt utiq; sed ante nundinarum exitum è mercatore, qui literas modo dedit, extorquere possum nihil, ait enim sibi in tanto hominum strepitu, otium ad numerandas pecunias non esse, alioqui, non modo natalem meum conuiuio exciperem, sed & genio bono (quem angelum dicimus) peculiari aliqua hilaritate gratificarer. OSVAL. Itaq; Terentiano illo satis excusati sumus. Vt quimus, aiunt, quando, ut uolumus non licet.

DIALOGVS III.

PETRVS ET PAVLVS. DE REditu in patriam, de literis à parentibus acceptis, deq; missione flagitanda.

SAlue mi Paule. PAV. Et tu sodalium iucundissime Petre, Sed quid adeo es tristis? nam ex quo communia studia, idemq; hic ludus, mutua nos familiaritate iunxerunt, uultu alacri, et festiuo mihi semper es uisus.

Vt ex his, quos hic habet ludus, fuerit nemo, qui non te familiariter uti concupiuerit, nunc nescio quomodo, alius uideris. PE. Et mirũ tibi uidetur, si uultu sum tristi, cũ eiusmodi quiddã mihi accidat, quod studiorũ meorum progressum non parum queat remorari. PAV. Quid illud quæso? Nã graue aliquid sit oportet, quod te adolescentem constantem à studijs deducat. PE. Dicam paucis. Iam annus fermè est, ex quo Ludi huius nostri celebritate excitus, huc, ad capiendum ingenij cultum, concessi, quo tempore, studiorum meorum uix rationem inueni, cum mihi è patria offerũtur literæ, quæ me domum, quasi ex medio studiorum cursu reuocant. Et quod me omniũ maxime male habet, reditus mei causas non edũt, Nec scire possum, an hûc tandem liceat remigrare. PAV. Qui scis, an ad fortunam aliquam auoceris? PE. Nulla mihi fortuna potest incidere tanta, cuius respectu literas queam posthabere. PAV. At parentibus est obseq̃edũ. PE. Hoc illud est quod me mouet, quod me hinc domum extrudit, Alioqui, tametsi nõ tantum est æris, quo hanc hyemem transmittere queam, tamen præ studiorum amore uictum mendicando hostiatim quæritassem. PAV. Non antequàm hinc abeas, nunquàm forsan rediturus, conuiuium inter nos agitabimus? PE. Conuiuia agitarem, qui ad supellectilis meæ sarcinam componendam uix tempus habeo? Imò, iã recta ad Ludimagistrum pergo, mißionẽ efflagitaturus.

quam

quam ubi fuero consecutus, conterraneorum meorū literis, quas ad parentes suos mihi dabunt, acceptis, statī iter ingrediar. Quare rectißime uale mi Paule, mutuæ nostræ consuetudinis memor. Quod si quando dabitur otium, fac de studiorum tuorum ratione, & ludi huius statu me literis tuis certiorem reddas. PAV. Faciam sedulo mi Petre, & lubens quidem. Sed heus tu. PE. Quid est? PAV. Conterraneos tuos quorum consuetudo dum hic erant, utriq; nostrum erat grata, meo nomine diligenter salutes uelim. PE. Sat est, faciam.

DIALOGVS IIII.

De conueniendo præceptore, mißione impetranda, deq; gratijs præceptori agendis.

PANDVLVS ET PETRVS.

PAN.

Quis es, qui trepide adeo pulsas hostium? En Petre tun' pulsasti. PE. pulsaui. PAN. Sed qua gratia huc intromitti postulas, non ut magistrum cōuenias? PE. Maxime, si est intus, habeo quod cum eo agam ipse. PAN. Est intus, Sed mane paulisper, dū hûc tibi renuntio, an hoc temporis articulo, ei te audire uacet. Here, Scholasticus quispiam foris expectat, qui, si non sit molestum, cupit te de re quapiam conuenire. LV

DI. Quin huc adest. PAN. Iamiam aderit. PE. Salue præceptor optime. Auocor hinc in patriam serijs parētum meorum literis, & si non auocarer, ipsa tamen æris egestas, & item nuditas, domum abigere me poßet. Itaq; gratias ago tibi immortales obseruantißime præceptor, quòd me primum in tuam disciplinam humaniß. recipere dignatus es, deinde, ex quo tuæ scholæ fui sectator, & fideliter, & accurate tam literis bonis, quā rectis moribus expolire studuisti. Porro quia, ut dixi, non amplius hic morari licet, quàm possum amanter oro, ut qua humanitate me hactenus tractasti, eadem & migrandi potestatem concedas. Etenim si modo id pace fiet tua, cras prima luce iter sumus ingressuri. LUDI. Si quid feci quod gratum sit adolescens studiose, hoc totum non mihi, sed præceptoris officio feres acceptum, Cæterum, quando te hinc parentum literis auocari dicis, abi me permittente bonis auibus quocumq; te uel parentes uocant, uel rectius forsan consilium hortatur.

PE. Sed illac qua iter sum facturus, amicos ne aliquos habes, quos literis salutare cupias? quandoquidem ipse perferendi onus in me lubēs recipio. LUD. Non admodum, & ut maxime haberem, tot tamen alijs negotijs in præsentia districto, scribere non uacaret. Quare tu, quod ad literas attinet securus, iter destinatum, quando lubet, capesse. PE. Bene uale.

Dialo-

DIALOGVS V.

De excipiendis ſcholaſticis aliunde aduenientibus, deq́; Græcæ literaturæ rudimentis in prima ætate addiſcendis.

MARCVS ET IOANNES.

VNde nobis aduenis mi Ioānes? aut quo āio huc ad nos es profectus? Neq; enim opinor ludi huius gratia uenis, qui ante tot meis, atq; item aliorum literis inuitatus, huc pertrahi nō potuiſti. IOAN. Imo hac ipſa cauſſa adſum. MAR. Vtcunq; ſit, gaudeo te feſtiuiſſimum ſodalem nobis redditum. Et hic aduentus tuus, non mihi ſolum, ſed omnibus qui te norunt optatus eſt. Sed enim aperias oro, quidnam ſit illud, quod te tandē huc allexerit. IO. Vis ſcire? MAR. Volo. IO. Audies, Quum primum puber factus, grauiori paulo cura præceptorem ſcriptores Latinos prælegentem audire cepiſſem, ſubinde Græculæ aliquot uoces nobis occurrebant, Quo loco, præceptor ſuo munere egregie ſe putabat perfungi, quoties obiter tantum admoneret, eſſe ea græca, perinde ac ſi peregrina, ad nos nihil attinerēt. Hic quid alijs audientibus in mentem uenerit, neſcio, equidem ſic cogitabam, ſi ad nos hæc non pertinent, ut nec cognita doctum, nec incognita imperitum red-

dant, cur non ex libris, tanquàm offendicula quædam penitus eradimus? Deinde mirabar ueterum scriptorũ penè omnium curiositatem, qui non solum magna cura peregrinas istas nugas didicissent, sed & libris suis, uelut maculas quasdam inspersissent. Postremo, quãquã à præceptore libere dissentire erat religio, tamen cum audirem esse uiros graues multos, qui has, sicuti tũ putabatur, nugas amplecterentur, profiterenturq́;, paulatim circumspicere cepi, utrũ credere mallem, magistrũ ne meum potius ignorantia labi, an totam semel antiquitatem, & ex recentioribus optimos quosq; pueriliter quidem delirare. Itaq; sic mihi inter hæc fluctuanti, & in quam partem inclinarem hæsitãti, forte fortuna cecidit, ut Mar. Tul. Ciceronis libros de Off. enarrandos præceptor susciperet, in cuius lectionis ingressu statim in ipsa præfatione grauißimus ille, & philosophus, & orator, unico suo filio suadet, ut Græca cum latinis cõiungat, quo par sit in utriusq; orationis facultate. Hoc ubi, præceptore dißimulante, mihi arripuissem, grauiter dolere cœpi, negatam nobis occasionem eas literas discendi, quarum studium, si essent inutiles, nec laudaret Co. Ro. nec filio unico iniungeret prudẽtißimus pater. MAR. Iam uideo quo tendas. IO. Mane, nondum omnia habes. Cum hæc subiratus mecum agitarem, ecce rumor apud nos increbrescit, in hanc laudatißimam Academiam Principis munificencia accersitos, qui publice

græcas literas doceant, & ex eorum uelut fontibus nõ nihil quoq; in ludum literariũ deriuari. Hæc fama partim literis, partim commeatibus confirmata illinc me utriusq; eruditionis cupidũ exciuit, & huc appulit. Habes cur aduenerim, nimirũ ut in hoc ueſtro ludo et græce linguæ elementa ſaltem liceat percipere. MAR. Dubio procul uoti cõpos eris, neq; aliquo aliò felicius te conferre potuiſſes, adeo hic omnia nobis ſunt commoda. Deniq; quod peculiariter ad rem pertinet, ludus, ſi quiſquàm alibi, inſtructiſsimus. IO. Sed quando ſatis fabulati ſumus, hãc operam non negabis, opinor, ut me ad Ludi moderatorem deducas, ſiquidem iam ſtatim nomen in hanc literariam militiam dare ſum paratus. MAR. Faciam ac lubens, tu me ſequere.

DIALOGVS VI.

De recipiendis in diſciplinam ſcholaſticis.

MARCVS, LVDIMAGISTER, & Ioannes.

EN tibi præceptor optime, adduco hic quẽdam, cũ quo iam annos aliquot mihi fuit familiaritas, hominem bonũ & ſtudioſum. Is tui ludi fama excitus hũc appulit. Quare magnæ felicitatis loco ducet, ſi ſe in tu

orum gregem recipere dignatus fueris. LVD. Adolescens bone, quod tibi est nomen? IO. Est mihi nomen Ioannes. LVD. Faustum planè nomen es sortitus, quippe hoc Hæbræis à gratia dicitur. Quamobrem summa ope tibi est enitendum, ut tam gratiosi nominis expectationi, pro tua uirili, respondeas. IO. Equidem pro uiribus sedulo dabo operam, teq; in hoc mihi adiutorem fore spero. LVDI. Sed & ipsa corporis tui facies animũ subesse ostendit, qui neq; à literis, neq; uirtutibus abhorreat, adeo, ut si fortiter egeris, & de te dici demũ posit illud, Gratior est pulchro ueniens è corpore uirtus. Quo libentius te in meam disciplinam recipio, si modo das fidem te boni discipuli officio apud me functurum. IO. Do fidem me in omnibus quod rectũ erit, quodq; tu iusseris facturum. LVDI. Ita spero quidem. Sed q̃ tibi est patria? ut in rationarium hoc quoq; adscribam. IO. Patria mihi est Auba, oppidum Franciæ orientalis, non procul ab Herbipoli, celebri sacerdotum sede, situm. LVD. Sat habeo, quod superest, curabitur tibi pro tua sorte commoditateq; domicilium. Ac tu quidẽ in eo sic te gere, ne aliqua macula hic in nostram scholam redundet. IO. Quod ad hanc rem attinet, securus esto optime præceptor, nam, ut inquilinum decet, modestißime agam. Nunquid aliud mihi uis iniungere? LVD Nihil, nam si quid superest tibi præstandum, quotidie inter prælegendum à nobis dicetur.

DIA-

DIALOGVS VII.

De domicilio commodo, atq; incommodo, deq; paupertate, ac opulentia scholasticorum.

IOSEPHVS ET CLEANTHES.

Quid agitur mi Cleanthes? Contigit ne tibi commoda habitandi ratio? aut adhuc incertis sedibus oberras? CLE. Contigit quidem habitaculum, sed eius commoditas tanta non est, quantam fore speraui, siquidem spes erat fore, ut ciuis alicuius beneficio unà cum domicilio & uictum qualemcumq; nancisce rer, uerum multo aliter euenit. Nam uix impetrare potui, ut pro Locario statuto mihi angulus in ludo locaretur, uictum uero, quando pecuniæ est parum, hostiatim emēdicari oportebit, nisi forte melior mihi fortuna posthac obuenerit. Tu autē felix es mi Iosephe, cui parenteis tantum sumptū suppeditare sufficiūt, quātū ad studiorū commoditatē est satis. IOSE. Est, dijs gratia, unde hæc cōmoda mihi parē, sed quo plura mihi sūt ad disciplinas parādas commoda, eo ipso grauiori dignus essem odio, si nō plus q̃ uestrū quispiam didicero. Attamē nec uos de mediocri studiorū uestrorū profectu desperare decet, quādoqdem cōstat, multos humili natos loco, adhæc nullis ōnino fortūæ dotibus adiutos ad

eruditionis fastigium ascendisse. An non Democritus il le physicus ex baiulo factus est philosophus? Non Cleã thes, cuius tu nomen refers, aquis noctu hauriendis di= urnum uictum sibi quæsiuit? & quem Stoicum hic nõ æ quauit? Sed & Plautus inter ipsos pistrinæ molestos labores laudatißimas illas comœdias conscripsit.
CLE. His & eiusmodi alijs exẽplis animatus in stu dijs perseuero, alioqui me iampridem ad manuariũ ali quod artificium transtulissem. Quamquàm sunt mei or dinis plæriq; adulescentes in ludis magis putrescentes, quàm studentes, adeo infœlici ingenio, ut ad nullas lite ras sint appositi, hi mihi nulli alij usui esse uidentur in ciuitatibus, quàm quòd alios mendicos, dũ eis panẽ præ ripiunt, ex urbibus pellunt, ijs ego consulerem, ut se ad aliquod aliud studium applicarent. IOS E. Probe dicis mi Cleanthes, nam si omneis eiusmodi eßent ĩgenio præ diti, quali tu, fouendos modis omnibus putarem. Certe quod ad te attinet, spero propediem tibi meliorem fo= re conditionem, nempe ut apud ciuem quẽpiam, cui non nunquàm inseruias, omnem studiorum commoditatem sis habiturus. CLE. Vtinam Deus ita faxit, ne dubita, & in hoc, mea commendatione iuuabere.

DIALOGVS VIII.

ANDREAS, AC PHILIPPVS.

De uindemia, & aucupio loquuntur.

VTinam mi Philippe iam domi apud parentes agẽremus. PHI. Quid ita? AN. Rogas? imminet iam uindemiæ tempus, quo nullum toto anno nostratib. accidit lætius. PHI. Quid ego audio? tune simul uinitórem uis agere, & literarum cultorem? AN. Animi caussa racemos decerperemus, degustaremus è lacu mustũ, neq; enim diutius abesse optarem, quàm mustum in dolia conditum deferbuisset, despumassetq;, ad hæc decoqueremus sapam, defrutum, ac uini ueteris fecẽ. Quid? quòd nobis liceret & aucupio uoluptatem quærere, si quidem uolucres captaremus iam retibus explicatis, iã pedicis fixis, nonnunquàm uero & uiminibus uisco illitis. PHI. Sine parentes harum rerum curam gerãt, tu si sapis, in literis te oblecta. AN. Atqui audiui magnos uiros in eiusmodi rusticis rebus oblectationẽ quæsiuisse. PHI. Recte, quando magnis uiris hæc sunt permittenda, nobis uero, qui nondum ultra primas literas progreßi sumus, non itidem. AN. Semper tu quidem meis affectibus obstrepis, non minus quàm præceptor. PHI. Quod ad me attinet, age, age, ut lubet, me certe non habebis huius tuæ stultitiæ comitem.

DIALOGVS IX.

THOMAS ET HIERONYMVS.

De authoribus proximo semestri in schola praelegendis.

Qvid est quod illàc uenis Hieronyme, aut ubi fuisti? HIE. Redeo à praeceptore eo, qui à ludimagistro primas tenet. THO. Age, quid is narrat de authoribus hoc semestri praelegendis, iam enim sicut opinor, eorũ delectũ habuerunt. HIE. Habuerunt, idq́;, sicuti dici audio, prudenter, nam praeter utriusq; lĩguae rudimenta, ex Fabij praescripto coniunctim tradẽda, primum Terentianas comoedias exponendas susceperunt, quod hic scriptor ex Latinis pene solus Romani sermonis natiuam, & genuinam proprietatẽ retineat, adeo ut nec Marcum Tulliũ, oratorũ principem puduerit ad huius exemplum orationes suas formare, deinde Mar. Tul. officia, quòd is liber non linguam solum eloquẽtia expoliat, sed & pectus rectis moribus instruat, unde & Plinij iudicio non legendus, sed ad uerbũ sit ediscendus. Postremo aliquot Vergiliani poëmatis libri exponentur, nempe ut Augustini iudicio, optimus poëta teneris animis infixus, in omnem usq; uitam haereat. Ad haec, quando parum est aequũ. Christianos in gentilium libris esse totos, eis diebus, quibus ferias agimus, elegãtißimos simul, & grauißimos hymnos Aurelij Pruden

dentij, grauis, & sancti uiri audiemus, aut si displiceat, Enchiridion militis Christiani, ab Erasmo Roterodamo accuratissime elaboratum. Quæ si (ut spero) et pro suo officio explicarint accurate præceptores, et nos pari diligentia exceperimus, non opinor male hoc semestre nobis fore collocatum. THO. Non iniuria hunc laudant delectum mi Hieronyme, neq; enim unquàm eorum mihi placuit institutum, qui his, & id genus alijs optimis scriptoribus posthabitis, in Apuleio, Cappella, & eius farinæ authoribus cæteris, bonas horas male collocant, qui scriptores Ciceroniana eloquentia non contenti, sibi solis nouam dicendi rationem inuenerũt, quasi non summum sit orationis uitium, à communi dicendi consuetudine abhorrere. Nam qui citra delectum Catullos, Tibullos, Martiales, et huiusmodi enarrant, & per hoc discipulos peregrina et prodigiosa docent uitia, hi mihi non uerbis, sed uerberibus coërcendi uidẽtur. Hi enim sunt illi poëtæ, quos solos è republica sua pellẽdos statuit Plato. Atq; hæc non ex me dico, sed quòd sic cẽsentes audiuerim doctiss. pariter, et integerrimos uiros. HIER. Recte ergo facit ludi noster magister, qui eiusmodi nihil in scholam suam irrepere sinit. Sed ego iam rectà, hinc in bibliopolium concedã, libros de quibus dixi coëmpturus. THO. Nostin' quanti hæc simul emi poßint? HIE. Haud dũ licitatus sum, opinor aureo numo, siquidẽ audio indicari argẽteis uigitiquat

tuor. THO. Bene habet, quòd non pluris ueneunt, alioqui, quæ mea est ægestas, coëmere non suffecissem. HIE. Eamus ergo. THO. Quando uis, in me nõ est mora.

DIALOGVS X.

De relegenda prælectione, de ediscendo, deq; enotandis ex authoribus loquendi formulis.

PHEDRVS, & ætate, & eruditione maior, cum fratre suo IOANNE loquitur.

Quid tu otiosus hic desides, & non potius prælectionem modo auditam, relegis? IO. Relegi atq; adeo bis, terue. PHE. At fortasse non satis accurate. IO. Acuratißime, ut totam etiam memoria complectar. PHE. An tuo te officio satis perfunctũ credis, si memoria tãtum teneas, & Psitaci more uerba nõ intellecta præceptori reddas? IO. Quin intelligo omnia. PHE. Hui omnia? uide quid dicas. IO. Omnia inquam, ut maxime tibi uideatur incredibile, atq; id ut credas facilius, liberum tibi est, singula quæ ad modo auditam prælectionem attinent, ex me perquirere. PHE. Singula persequi in præsentia nõ est otium, hoc tantum quæro, Primum, An totam autoris sententiam,

ex præceptoris interpretatione ſis aſſecutus, & quã quidq; ratione, quoue conſilio ſit dictum intelligas. De inde ſingulas ne clauſulas expenderis. Videlicet ſi quã habeant ſentẽtiam inſignem, ſi quod prouerbiũ, ſi quod σχῆμα, ſi quem tropum, ſi quem colorem Rhetoricum ſi quem locum dialecticum, ſi quas uenuſte loquẽdi for mulas, quæ omnia enotare operæpreciumeſt, partim ut ſit in promptu ſemper, quo mores noſtros pariter & alienos corrigamus, partĩ ut ex idoneis ſcriptoribus ſup petant recte loquendi ſcribẽdiq́; exempla, ad quæ craſ ſiſsima illa hodie barbariſantium loquendi conſuetudĩe poſthabita, orationem noſtram componere queamus. Poſtremo ſi quod dictum antique, ſi quod noue, quod lo quendo, ſi quod parum Chriſtiane, quod uiuendo expri mere non conueniat. Hæc magiſter tuus, uir non ſolum doctus, ſed & prudens inter prælegendum diligẽter ad monere ſolet, et ipſe eiuſmodi, cum id ætatis erã, in ſcho lis non oſcitãter excepta domum regreſſus, partim me moriæ, partim chartis fidis memoriæ cuſtodibus com mendabam. Senſi namq; hac diligentia me uehementer proficere. Quòd ſi fratris ueſtigiis ĩſiſteres, idemq́; fa ceres, iam certe non hic, ſed libris adſideres. IO. Ni mis multa in puero requiris. Equidem ut quod uerũ eſt, tibi reſpondeam, in his quæ tu mones exponenda, plæri q́; omneis ſumus negligentiores. Nimirum contenti ſin gularum dictionũ, quæ in contextu reperiantur reſpe

ctum habuisse, uidelicet quàm ex octo orationis partibus habeant pro genere, quæ sint accidẽtia, cuius generis, simplicia sint an composita, in quam cadant declinationem, Item quæ partiũ sit inter sese cõstructio. PHE. Recte, sed & illa non oportet negligere. Alioqui nõ uideo, quid referat Terẽtium, Ciceronem, Vergilium, et similes tanta cura sine fine tractari, si non inde aliquid quod uel ad recte uiuendi rationem, uel dicendi facultatem faciat, consequamur, Ipse certe eam lectionẽ, ex qua auditorum imitationi nihil accedit, nullam puto. Tantum abest ut istos probem qui scriptorum sensu exposuisse utcumq; contenti, nullam imitandi uiam discipulis commonstrant. Tu uero quando præceptorẽ nactus es doctum & fidũ, fac eius tum doctrinæ, tum fidei, diligentia tua respondeas. IO. Dabo operam sedulo, ne quod ad hanc rem attinet, iure me posthac obiurgare queas. Sed iam xij. horæ signum auditur, quare hinc ocyus in ludum contendam.

DIALOGVS XI.

Complectens formulas loquendi de ferijs.

STEPHANVS ET Laurentius.

Quem

QVem aiunt hodie apud populum in templo noſtro concionaturum mi Laurenti? LAV. Audio quempiam è monachis in ſuggeſtum proditurum. STE. Miror non inſignem aliquem theologum ei negocio adhiberi, maxime, cum ingens hominũ turba hodie in hãc ædem confluat, propterea quòd ſacrificus quidam nuper in ſacerdotum ordinem aſſumptus, primũ ſacra faciet. LAV. Et mihi mirum uidetur, quamquàm quod ad me attinet, uellem contio quã breuiſsima haberetur. Etenim iam nunc uehementer eſurio, biduano iam penè ieiunio maceratus. Nam his diebus quibus à carnibus abſtinetur, nũquã abeo rectè ſatur. STE. Duas adhuc horas edendi auiditas tibi eſt reprimenda, ſiquidem præter contionem, quæ horam poſcit, ſcis quantum temporis in ſummo ſacrificio Choraula ſibi ſumat, quem etiã penè ſuperant hæ noſtræ cantiones ſupra modum prolixæ. LAV. Male ſit iſtis, qui harum rerum nobis ſunt autores. Ipſe certe ſtatim, ubi peractum fuerit ſacrum, ad diuitum oſtia citato adeo curſu contendam, ut ſi non in primis, ſecundis ſaltem, & tertijs ſtipem accipiam. STE. Sed me uix anteuertes. LAV. Res ipſa indicabit.

DIALOGVS XII.

CLEMENS ET REMIGIVS

De die à ferijs secundo, quem Martis uocant, confabulantur.

VAe nobis mi Remigi, ultra præscriptum dormiuimus. Iam enim Sol undiq; plena luce resplendet, ut septimæ horæ signum datũ liceat conijcere. RE. Non opinor, cœlum alioqui præter morem est serenũ, etiã si aliâs hoc die somnolentiæ meæ pœnas nõ raro dedi. CLE. Vtcunq; sit, male metuo mihi à ferula, quare occasionem aliquã, qua hodie è scholis emanere liceat quæram. RE. Quã eam? CLE. Scis quid à nobis heri contenderit hera nostra? RE. Scio. nempe ut familiam hauriendis aquis iuuemus. CLE. Sed quid tum? RE. Hæc erit rima satis idonea per quã elabamur, quamobrem tuũ erit ubi octauæ signum auditũ fuerit, quasi è medijs laboribus in ludum ingredi, atq; præceptoribus emanendi copiã poscere, hac ipsa, quã dixi caussa aßignata. CLE. Vereor ut procedat cõmentum, quandoquidem hoc die quo funus magnificũ est deducendũ, & defuncti manibus parentandũ, uix facultatẽ hanc dabit, & alioqui pauci iã adsunt qui pompã instruant. RE. Tẽtandũ est, utcunq; res exeat, ac, nescio quomodo hac die mihi semper inuisum est scholas adire, non minus quã si in pistrinum aliquod mihi sit redeundũ. Credo quòd pridiani otij sensus adhuc reliquus sic reluctantem faciat.

DIA-

DIALOGVS XIII.

BVRCARDVS ET ALBINVS.

De *nuptijs, balneis, ac uiscerat.ionibus.*

NVptias hodie futuras aiunt Albine, tu quippiam ea de re audisti? AL. *Audiui.* BVR. *Danda est opera, ut & nos è nuptialibus cibis aliquid acquiramus.* AL. *Quod ad cibũ attinet, hodie nihil moror, heri enĩ mihi prospexi, unde hunc diem commode liceat transigere, sed quod à prandio saltationem in theatro spectare non possum, hoc uero est, quod me male habet.* BVR. *At quid uetat, quo minus spectes?* AL. *Ignoras forsan in hunc diẽ nobis pij cuiuspiam beneficio balneas gratuito condictas, à quibus abesse saltationis spectandæ studio, an tu putas fore consultum?* BVR. *Vide, nisi submonuisses, egregie fuissem oblitus, neq; uenisset in mentem uisceratıonis, quæ & ipsa in hodiernum diem est constituta. Valeant nuptiæ cũ sponso, ac sponsa, nos quæ propius ad nos pertinent, curemus.*

DIALOGVS XIIII.

XYSTVS ET ALEXANDER.

De ingenij præſtantia contendunt.

FElix tu quidem es mi Alexander, cui ingenium tã fœcundum, tamq; perſpicax contigit. ALEX. Eſt nobis Chriſto deo gratia, non omnino infelix, ſed tamẽ non tantum, q̃ forſan tibi uidetur. Fit enim, neſcio quo modo, ut noſtri noſmet pœniteat, aliena ferè ſuſpicia mus. XYS. Et tu quantum audio, aliqd inſuper deſyderas. ALEX. Quid ni? quando memoriã mihi ſentio omnino fluxam, & parum tenacem. nam ut facile quæ traduntur percipio, ita non ſine maximo negotio percepta retineo. XYS. At ego difficulter intelligo, uerum ſemel intellecta, diutiſsime reſeruo, &, ut uideo, tibi cæreum eſt ingenium, mihi uero ſaxeũ. Cæræ quiduis facile impreſſeris, at impreſſum ueſtigium, ſtatim euaneſcit, ſaxo tametſi quid non ſine labore inſculpitur, ſemel tamen inſculptũ, multis ſeculis durat. ALEX. Recte plane confers, ſed hoc me male habet, quòd uideas plærosq; ingenio numeris omnibus feliciſsimo prædi tos, at uiciſsim moribus adeo turpibus, ut non inepte di xeris eorum ingenia male habitare. XYS. Credo dicterium hoc uetus eſſe, & olim de Galba, homine ad prodigium uſq; deformi, dictum, ſic enim audire commemini. ALE. Probe, ſed nec ipſe, opinor, inepte huc detorſi.

DIALOGVS XV.

SER

SERVIVS ET SVLPITIVS.

De ſigno tintinabulorum, deq; immodico ſomno.

Qvin ſurgis Sulpiti? iam tintinabula ultimum diluculari sacrificij ſignum dederunt, & non ignoras, quanta hominum frequentia hoc ſacrũ peragatur, ut flagitiũ plane ſit, nos in tempore non adeſſe. SVL. Iamiam ſurgã, tametſi caput adhuc ſopore graue ſentio, utinã liceret ad ſacietatem usq; dormire. Imitarer certe hodie Horatianos illos iuuenes, quibus pulchrũ uidetur in medios dormire dies. SER. At ego te diutius non operior, ne hæc mora mihi plagas lucrifaciat. Ego hinc abeo, tu, quando lubet, ſequere, aut tuo periculo dormi. SVL. Iamiã te comitabor, ne feſtina tantopere. SER. Nihil moror, nunc non eſt nugandi locus, à prãdio uero, ubi pro more nobis à ſtudijs remiſſio data fuerit, nugabimur.

DIALOGVS XVI.

HENRICVS ET FRIDEricus.

De ludendi ratione agunt.

TV nobiscum pila ludes Friderice? an cum istis cursu mauis certare? FRI. Mallem cum uno et altero iucundo sodali deambulatũ ire. HEN. Quin tu ante paulisper pila colludis, postea & nos una tecũ deãbulabimus. FRI. At ego huiusce ludi non admodũ sum peritus, nam neq; caute pilam mittere, nec missã manu satis certa excipere sufficio. HEN. Nihil est, quod hac gratia sis sollicitus, ipsa rei exercitatio te satis, quid facto opus sit, admonebit. Quod si hinc modis omnibus abhorres, age ludũ minoris negotij, nempe globularẽ, incipiamus. FRI. Quando ita uultis, nõ recuso, tametsi praeter risum spectantiũ nihil me lucraturũ scio. Siquidem ubi decies aberraro, uix semel tandem ferio, idq; casu magis, quã arte. HEN. Non magni refert in hoc certamine uincas an uincaris, neq; cui caput agitur, aut pro pecunia certatur.

DIALOGVS XVII.

IVLIANVS ET DAMIANVS.

De quaestionibus commissorum, quae die Veneris in ludis exercentur.

Eh O noster Damiane, adest rursus dies, quẽ ego non minus nobis nefastũ & execrandũ puto, quã olim Roma

mani illum, quo in Cannensi pugna tot Romanorũ mil-
lia ab Annibale trucidata. DA. Quid ita. Nũ mali ali-
quid huic scholæ ex hoc die impendet? IV. Et tu nescis,
præsertim tot ãnos in ludis uersatus. DA. Qui scire pos
sum scholæ huius consuetudinẽ nuper admodũ huc pro
fectus? IV. Quæstiones hodie fiunt in ludo non aliter, q̃
quadã carnificina. DA. Quid narras? IV. Vera quidẽ
nã de singulis, quæ per totũ septimanæ cursum quoquo
modo cõmisimus, hodie quisq; pro se pœnas dare cogi-
mur. DA. At qui scire possunt præceptores, quæ singu
li nos designemus? IV. Arte quadam oĩa expiscantur,
ut nihil illis occultũ esse poßit. DA. Quid ita. Num diui
nationũ sunt periti? IV. Minime, sed alia uia eodẽ perue
niunt, nam aliquot clanculũ in hoc selectis, prouinciam
dant, nos suos cõmilitones deferendi prodendiq;, ut nus
quã quicquã omnino tuto agere queamus. Semper enĩ
uerẽdũ, ne quispiã ex eiusmõi Coryceis nos auscultet, et
lupus sit in fabula. i. ille ipse nobis ignorantibus adsit, q̃
quasi conductitius proditor oĩa ad præceptorem defe
rat. DA. Hoc illud forsan est, quod Lupũ audio appel
lari, nã nomen solũ in ea schola, ubi ãte egi, iactabatur.
IV. Is ipse est ille clancularius lupus, quẽ nos miselli nõ
minus odiosum habemus quã ferã illã quadrupedẽ hor
rent oues. DA. Vereor ne & nos hodie deferat, quãob
rem cogitandũ mihi est, ut si forsan reus fuero, uel me
expurgem, uel quã minima pœna defungar.

DIALOGVS XVIII.

PETRVS ET PAVLVS grauiter ferunt desyderium feriarum, deq; capite lauando agunt.

Qvàm uellem hunc diem abijsse, ut à tot totius septimanæ laboribus, ac etiam bidui fame, ad ferias demum, & carnes liceat redire. PAV. Impatiens es moræ, mi Petre, qui cum totā pene septimanā expectaris, diem dimidiatum durare non potes. Quid autem facies, ubi totis quadraginta diebus à carnibus est abstinendum? PE. Recte quidē obiurgas, sed nescio quo modo, quanto uiciniores sunt feriæ, tanto magis earū me premit desyderium, sed nunquid aliud dicere uis? Nam ego hinc me in tonstrinam conferam caput lotione curaturus. PAV. Et ipse lauandum caput exhiberē, si lotionis mercedem tonsori persoluere possem, nunc autem tantum habeo numum. PE. Sat est, nec ipse pluris lauo, tametsi raro hos facio sumptus, nam per anni circulum uix sexies lauo. PAV. At sæpe caput à sordibus repurgares, aiunt enim corporis emundatione & ingenium nitidius, quasiq; purgatius reddi. PE. Sic quidem fertur, idq; propterea quòd scientiarum sedem in capite, utpote rationis domicilio, collocant, quare ocyus eamus. PE. Quando lubet.

DIALOGVS XIX.

DIALOGI.

GEORGIVS ET CHOVNRADVS.

De canticis, deq; ferijs diui Martini.

AGe mi Chunrade, quo cantico per hanc hyemem stipem colligemus? Etenim in hac urbe mos est, ut scholastici aliquot coniunctim compositis in hoc cãtilenis, diuitum conuiuia exhilarent. CHO. Tuũ hoc fuerit disquirere, qui rei musicæ peritiam habes, quiq; huius scholæ melius quàm ego, tenes. GE. Quãdo in me hanc curam reijcis, aliquid minime uulgare despiciã. Sed dic ab hĩc octauo quid fieri soleat, nosti? CHO. Dic quid? GE. Erunt tum feriæ præcidaniæ diui Martini. CHO. Quid tum? GE. Est tunc meßis nobis scholasticis uberrima, siquidem in eius diei uespera non esculẽta solum nobis largius solito dantur, sed et stipem egenis dari hostiatim est receptum. CHO. Bene mecum agetur, quandoquidem corrasurum me spero, quo hyemem cõmodius transigere ualeam. GE. Ita spero quidem, quare ad tempus, ut præsto sis, uide.

DIALOGVS XX.

MARTINVS ET VALERIVS.

De ieiunij uiolata religione, deq; diuæ Catharinæ, studiorum præsidis numine.

Quid agis omnium impurißime? VA. Quid adeo in me stomacharis, qui aliud facio nihil, quàm q ientaculum capio, an tu ientaculum perinde ducis, ac piaculum. MAR. Quasi non sat graue sit piaculum in homine Christiano ieiunij religionem uiolare. VA. Et hodie est indictum ieiunium, dic quo nomine? MAR. Sceleste, nescis cras ferias beatæ Catharinæ artium præsidis agendas. VA. At non putaram præcidanias has ferias ex ecclesiæ īstituto sacras. MAR. Quid tum, consuetudo recepta est pro lege, & ut nulla sit cōsuetudo, nobis tamen qui literas sectamur, quibus hæc uirgo præsidet, hic dies ieiunio religiosißimo fuerat colendus. VA. Ieiunabo ergo deinceps uel hoc sumpto ientaculo, neq; enim lautum spero prandium, & ut uulgo dici audio, bis interdiu male pasci, pro ieiunio est. Tametsi ut tibi me aperiam, hactenus Christum uerum sapientiæ præsidem putaui, ut qui sapientiæ nomine subīde in ecclesiasticis concionibus celebretur. MAR. Noua quædam inducere conaris, at ego communi omnium uia ingredi malo. VA. Nō audisti illud Pythagoræ, Per publicam uiam ne ambules. MAR. Molestus es, tu tuū, ego meum iter ingrediar.

DI

DIALOGVS XXI.

HIPPOLYTVS ET CLETVS.

De frigoris iniuria queruntur.

O Quàm sunt felices, quibus per opes iã licet domi ad caminũ, aut calefactum hybernaculũ adsidere. CLE. E diuerso quàm nos infelices, qui miseri nullis pellibus, imò nullis penè uestibus aduersum frigoris iniuriam armati per medios hymbres niues & glaciẽ, hostiatim quærere uictũ cogimur. Sed solatur me illud Flacci.

Qui cupit optatam cursu contingere metam.
Multa tulit, fecitq; puer, sudauit & alsit,
Abstinuit Venere & Baccho, qui Pythia cantat.

Alioqui si similis esset exitus illorum & noster, non esset, cur non iniurium deum dicerẽ, qui tam iniquæ res humanas administraret. HIP. Quin taces, ne quid ferocius in Deum effutias.

DIALOGVS XXII.

LVCANVS ET STATIVS.

De ferijs diui Nicolai, deq; creando Episcopo.

Q Vid tu nobis adfers noui mi Stati? LV. Nihil, sed in hoc te conuenio, ut de cõmunibus studijs fabulemur. STA. Gratus ergo mihi tuus est aduẽtus, adside hũc nobis. LV. En adsideo, scis quid in diui Nico

lai ferijs apud nostrates fieri soleat? STA. Qui ipse possem scire, cum illic fuerim nunquàm? LV. Dicam ergo paucis. Qui ludũ illic literarium frequentant, ex ludi magistri præscripto quempiam è suo grege episcopum creant, cumq; magna pompa domũ deducunt, & stato tempore in templum reducunt. STA. Quid commodi inde capit nouus ille & factitius Episcopus? LV. Nescio, nisi quòd conuiuio tandem, nescio cuius sumptu instructo excipitur, & tamen lautissime tractatur. STA. Nõ et interim, dum in magistratu uacationem à discẽdi munere habet, aut æque ac cæteri manum ferulæ subdit? LV. Aeque omnino adeo ut non sit magis episcopus, quã sunt hi reges, qui in tragœdijs, Agamennonis aut Priami personam gerunt. STA. Eiusmodi honorem mihi ne optarem quidem.

DIALOGVS XXIII.

IACOBVS ET THOMAS.

De uarijs spectaculis colloquuntur.

QVid cras sit futurum audistin? THO. Nihil equidem, nisi quæ aliâs fieri consueuerunt. IA. De spectaculis nihil? THO. Nihil planè, num edentur aliqua? IA. Edentur, et quidem uaria, nam funãbulos duos adesse audio, qui cras sui artificij miraculum ostentabunt. Tum Sarmatas aliquot ipse, qui immanes ursos ad exiguam stipem iuxta lituorum cantus saltitantes exhibebunt.

THO. Curabo quoquo modo ut & ipse intersim, etiam si me ipse intrudere debeam. IA. Vix poteris, quandoquidem qui non numerant, foras quatiuntur. THO. Fallā ipsos ianitores. IA. Ad hæc princeps ipse in foro paria aliquot equitum exhibebit, qui inter sese infestis hastis concurrent. Post quos circum ingrediuntur, item equites à calce ad uerticem usq; armati, quos cataphrattos uocant. Hi cateruatim sine ullo aut ordine aut, arte alius in alium irruēt, & se mutuis ictibus ab equis deijciant. Nam in hoc circus undiq; est circunseptus, & ne q ceciderint, grauius lædātur, fimo īstratus. THO. Quā quæso te, uoluptatem, ex tam furioso & minime iucundo certamine capiunt isti? IA. Quid? nullas non lautitias præ hac uoluptate contemnunt, præterquàm, quòd hoc tyrocinio ad serios hostium congressus præparantur, & quasi animantur. THO. Vtcunq; sit, spectabo et ipse quo modo res agatur.

DIALOGVS XXIIII.

CHOVNRADVS ET AEGIDIVS.

De ieiuniorum ratione disserunt.

MAle sit istis, nescio quibus, qui totum pene annum ieiunijs onerarunt. Neq; enim satis fuit eis quadraginta dies perpetuo Christi ieiunio esse sacros, nisi insuper quarta quaq; anni parte, aliquot

dies nos macerassent. Instat rursus septimana per abstinentiã transigenda. Quòd si mihi tanto apparatu prandium apponeretur, quanto illis qui ieiunia hæc induxerunt, non admodum grauatim eis parerem, nunc cũ uix toto anno semel rugiẽtem stomachũ exatiem, adhuc ieiunijs uexor. AEG. Quid ita stomacharis mi Chounrade in sanctos ecclesiæ patres? qui hæc omnia bono animo statuerunt non nobis, qui hæc nec præstare per ætatem adigimur, nec per inopiam possumus, sed sui similibus, hoc est diuitibus istis & delicatis. CHO. Qui scis hæc? AEG. Superiori anno è quodam concionatore audiui, qui diuo Hieronymo, quanquã acerrimo ieiuniorũ exactori, displicere aiebat, maxime in teneris ætatibus longa & immoderata ieiunia. Ne quemadmodũ ipse scriberet, ante pedes deficiant, quã currere incipiãt, quare tantum ieiuniorum modũ imponendũ, quantum ferre poterimus. CHO. Habeo gratiã diuo Hieronymo qui pauperculis nobis & impacienter esurientibus patrocinatur.

DIALOGVS XXV.

PENIVS ET FRANCISCVS.

De ferijs natalitijs Christi confabulantur.

ET gaudeo, & doleo mi Francisce, festa hæc natalitia appetere. Gaudeo quidem quòd hæ feriæ omnia

nia læta & festiua secũ apportãt, doleo aũt, quòd scholasticis nobis in addiscendis horũ festorum cantionibus grandis est exhauriendus labor. Præterea totis diebus in templis algẽdum. Postremo & illud uereor, ne si matutina sacra alto nimis sopore detentus neglexero, & plagas mihi lucrifaciã. FRAN. Vera sunt hæc quæ dicis, attamen quando hanc conditionem accepimus, aduigilandũ nobis erit, & oĩa fortiter perferenda, nam & peiora his paßi sumus, dabit Deus his quoq; finem, ut taceam hos nostros labores in pietatis cultum cedere. PE. Certe plus satis delicati essemus, si non tantum molestiæ uel pro solo Christo deuoraremus, cuius respectu tot infantium innocens ætas crudeles barbarorum militum gladios est perpessa, cuius rei memoria & his ferijs coniuncta est. FRAN. Sed illud quæso, quid sibi uult, quòd sacrificuli in diui Ioannis ferijs popularib. uinum è sacrato calice propinant. PE. Nescio equidem nisi quòd audiui hoc poculum, utpote sacrũ antidoti uice esse contra ueneni pericula. FRAN. At ego nolĩ hac fiducia cicutam bibere, quantumuis sit hoc poculũ, ut dicis, sacrum.

DIALOGVS XXVI.

BRVTVS ET PETRVTIVS.

De noui anni ingressu loquuntur, deq; missitandis strenulis.

FAustum annũ hunc nouũ & felicẽ tibi precor mi
Petruci. PE. Et ego, ut cũ fœnore tibi reponã non
hũc solum qui iam ingreditur, sed omnia totius uitæ tẽ
pora beata tibi opto. BRV. Tametsi mallem strenulam
mihi potius dares, quã magnificam illam & solennem ĩ
precationem, PE. At quas strenas dare poßit Petruti-
us, q præter pauculos libellos habet plane nihil? BRV.
Libellum quempiam dares, quãdo belle quadrat, ut ho
mo literis deditus, literarium quoq; det munusculum.
PE. Verum hac liberalitate studiorum meorũ iacturã
facerem, quod nec ipse, si modo amicus es, nobis suade-
bis. BRV. Iocabar tecũ, & te, quid animi haberes uole-
bam pertentare, cum has consuetudines, nec ipse magni
faciam, ut qui iam sæpe audiuerim eas nobis è gentilita
te relictas. Cuius generis esse audio, quòd in quibusdã
Christiani orbis regionibus pridie feriarum, quæ tri-
bus Magis sũt sacræ, singulæ domus singulos reges cre
ant, nã hæc omnia ex Aethnicorũ saturnalibus in hæc
usq; tempora defluxisse apparet. PE. Quia trium Ma
gorum mẽtionem fecisti, uelim, sicubi aut audieris, aut
legeris ipse mihi expedias. Primũ, quid sibi uelit, quòd
eos diuos alij reges, alij Magos appellant. Quod poste
rius ego de solis maleficis & præstigiatoribus dici pu
tabam. Nam utrunq; ut nosti, in sacris canimus, deinde
cur hæ feriæ græco uocabulo ἐπιφάνεια, nuncupen-
tur. BRV. Dicã quæ super hac re partim ex præcepto-

re dictante, partim concionatore superiori anno excepi, Principio magorum appellatione Chaldei nō ut uulgus putat, præstigiatores, sed uiros sapiētes nuncupāt, & secretorum naturæ conscios, quorū professio à quibusdam etiam Latinis magia naturalis dicitur, sed quæ hæc res finibus suis non contenta, temporis progressu in curiosam quandam dæmonum imposturam est delapsa, cœpit honestiss. artis uocabulum probro esse, quòd autē ijdem hi reges in psalmi prophetia dicuntur, non sic est accipiendum, ut hodie sunt reges, hoc est, tot ditionum potiētes, sed qui quoquo modo magistratū gerunt, sūtq; numero uulgi exempti. Quo modo & Hesiod. corruptos iudices & aduocatos βασιλῆας δωροφάγους appellat. Porrò apud ueteres Theologos græcos, ut Gregorium Nazianzenum, audio ipsa natalitia festa ἐπιφάνεια dici consueuisse, quòd in his Deus homo apparuerit. Verū q, & magorū ferias hoc uocabulo celebrāt. Hinc opinor esse, quòd illis dux stella apparuerit. Habes quæ ego de hac quæstione audiui. Plura si uis, ex doctoribus require.

DIALOGVS XXVII.

VALERIVS ET NICOLAVS.

De cæreis in ferijs beatæ uirginis gestandis agunt.

Q Vid tu cæreum non habes mi Nicolae? NICO. Vnde haberem, qui nec pecuniam, qua uictum

emere poßim, habeo? Sed si domi apud meos agerem, nugas eiusmodi mihi pararet mater. VA. Et tu nugas uocare audes res sacras? NI. Quid ni? neq; enim statim fuero hæreticus, etiã si nullũ gestem cæreum, maxime cũ non sit unde emã, tum & Christo putarem longe fore gratius, si sumptus, quos cæreis emẽdis facimus, in pauperũ usus cõuerterentur. VA. Atq est hæc laudabilis cõsuetudo? NI. Est omnino, sed non adeo, ut per ea meliora, & magis christiana officia negligi debeant. VA. Recte putas, nã & ipse sæpe stultã muliercularũ pietatem risi, quæ suffigẽdis etiã quotidie cæreis triginta sex, adeo sibi placent, ut per hoc cœlũ se demereri credant, quantumuis fortiter in plateis pauperes esuriant.

DIALOGVS XXVIII.

FABIANVS ET FRANCISCVS.

De Bacchanalibus Christianorum fabulantur.

QVid caussæ est Francisce, q; heri ludũ nõ es igressus? FRAN. Grauiter ex capite laborabam, ut lucẽ ferre non possem. FA. Belle morbum excusas, quando uulgare iã est scholasticos, si quando uel discendi sudorem horreant, uel ferulã metuant, ignauiæ suæ ualetudinẽ prætexere, ut scholasticus morbus pro aßimulato & conficto, iã pridẽ in prouerbiũ abierit. FRAN. Quid alij faciant nescio, certe quod ad me attinct, mallem decies ferulam pati, quã semel in eum dolorẽ recidere, eti-

etiam si uix dum plane reualui. Sed quid tute iã hic uersaris? an non hora iã est præceptoribus auscultãdi? FA. Est, sed ob hæc Christianorũ quasi Bacchanalia tridui missionem nobis dedit præceptor, uetuit tamẽ graui, si quis, dicto, audiens non fuerit, proposita pœna, ne quis opificum istorũ manuariorũ exemplo larua personatus uicatim cursitet, quòd hæc insania cum bonis omnibus, tum maxĩe Christianis sit indigna. FRAN. At ego iamdudũ laruã in hunc usum domi inclusam adseruo. FAB. Vide quid agas, nam de laruis cautũ est. Porrò cõpotationes, & cantiones ciuiles indulsit. FRAN. Parendum erit, alioqui post inpermissa gaudia fortiter plorabimus.

DIALOGVS XXIX.

VITVS ET SEVERVS.

De ieiunio, deq; confeßione quàm uocant.

Q Vid istud portendit Seuere, q̃ ita cogitabũdus inambulas? nã mihi arduum quiddã meditari uideris. SE. Rogas? quasi non ipsum hoc tempus te quid agerem, docere poßit? VI. Ieiunijs ergo crebris te maceras, ut eiusmodi faciem exhibeas? SE. Minime, sed quæ parũ religiose in Deum conditorem, ac eundem liberatorem male gratus admisi, ea nunc in memoriam reuocare studeo. Iam enim tempus simul, ac ecclesiæ dictum postulat, ut peccata nostra diligenter excussa, tutis sacerdotũ auri

bus censenda, deponamus, quo ab eis de peccatorũ rati one edocti, uidelicet quæq; leuia, quæq; grauia sint, deinceps cautius uiuamus. VI. At incurius ego ne semel q dem adhuc de re tanta cogitaui. SE. Hac ratione nihilo es melior, quin mature nobis hoc munere defungendũ est. Nimirũ ut hoc confitendi onere, quo nullum est grauius, liberati, diui Gregorij, studiorum præsidis, ferias agamus expeditiores. VI. At istis ferijs quæso te, quid tandem agitur? SE. Quia is diuus studijs, ut dixi, præsidere putatur, pueri qui suam ætatẽ in literis agere uolunt, eo die in hanc nostram militiam nomina dant faustis, ut ominantur, auspicijs. VI. Et quando hæ erunt feriæ? SE. Die, sicut opinor, ab hinc decimo. VI. Quando ita suades, & ipse mihi oricularium sacrum (sic enĩ uocant nonnulli eruditi) quærã, in cuius sinum mea delicta effundam. SE. Si lubet, eũ accedendi dabitur facultas, quẽ ipse iam semel atq; iterum diligentem sum expertus. VI. At ego mallem oscitantem aliquẽ, quẽ non magno negotio in aliquot criminibus fallere possem. SE. At hoc non est Christianum agere, sed uulpinã fraudulentiam referre, uerum tu uideris.

DIALOGVS XXX.

MARCELLVS ET ANTONIVS.

SAlue Antoni. AN. Et tu mi Marcelle. MAR. Quid est q̃ ita discurris? quem quæris? AN. Quæro qui mecum rus eat, mihiq; in emendicandis ex more ouis sit

socius. MAR. At hæc consuetudo parua est, & indigna eo, qui se liberalibus studijs addixerit. Quid enim seruilius, quàm decem ouorū gratia agrestium caulas hostiatim obambulare, ac interim domi lectionum iacturam facere. AN. Sed unde famem pellam, si non cibos undecunq; conquirere licet. MAR. Hic in urbe quantū naturæ satis est, nancisci potes, nam quorum beneficio totius anni uictum conquiris, eorundem benignitate et paucos dies transigere posses. AN. Frustra te appello, seuerior es, quàm ut tecum rem habere uelim, ipsa es sapientia. MAR. Age age ut lubet.

DIALOGVS XXXI.

PAVLVS ET LVCAS.

De sanctorum communione colloquuntur.

OBsecro te mi Luca, modis omnibus nos excutiamus, atq; ab omni peccatorum sorde pœnitētiæ scopis repurgemus, ne ad tanti principis, qui semel nutu nos perdere potest, mensam, illotis quasi manibus accedamus, & panem illum cœlestem, ac admirandū polluto ore, imò & animo sumamus, de quo heri tam pia, tamq; frugifera disseruit ludimagister. LVC. Equidem pro mea uirili ad hoc enitar, sed rogo, quid nam de hoc mysterio disputauit præceptor? Nam ipse non interfui PAVL. O Miserum qui talia negligis. LVC. Adesse nō quiui, alibi occupatus, quàmobrem uehementer oro & obtestor, ne mihi rem adeo salubrem inuideas.

PA. Aiebat tantam esse uirtutē huius admirādi cibi, ut qui eo rite uescerētur, fierent unū corpus atq; unus spiritus cū Christo, sicq; in Deum, Deiq; filiū abirent. Sed si quis impurus contingat, eū non salutē, sed extremam animæ perniciē sibi inuenire. Hortabatur ergo nos omneis, ut his diebus peccatores cū Christo in cruce moreremur, quo felicius & synceriori cum gaudio, unà cum eo in uitā transeamus. Hoc enim dicebat significari per hæc appetentia nunc festa, quod Pascha Hebræis transitum à morte peccatorū ad uitā uirtutum sonet. LV. At interim, quid fit de placentis, & id genus alijs bellarijs quæ ad imminentes has ferias parare cōsueuerunt? Nō & de illis quid audiuisti? PA. Apage tuus animus iā est in placentis, quum hoc temporis articulo Christus olī de uita sit periclitatus. Placentæ, atq; eius generis illecebræ aliæ, suo loco sermonem dabunt, nunc de alio cibo solliciti esse debemus.

DIALOGVS XXXII.

VRBANVS ET CHILIANVS.

De lustratione urbis & aruorum fabulantur.

Quid est Chiliane, quòd tanto molimine plateas & uicos omneis uerrunt, num princeps quispiā hûc est uenturus? CHI. Minime, sed quiddam est cras futurū, cuius gratia merito hic fit apparatus. VR. quid hoc, quæso? CHI. Solenne iam est, crastino die urbē corpore Cristi lustrare, siquidem primarius hic sacerdos

sa-

ſacratiſsimum hoc corpus circum mœnia geſtabit, uniuerſa ſacerdotum manu, atq; item populo omni à tergo ſequentibus. VR. Sacra forſan erunt, quæ nonnulli amburbialia non inepte uocari uolunt. CHI. Erunt. VR. At quando agentur Ambarualia? ſic enim uocantur q̃ apud Aethnicos erant Robigalia, Paliliaq;. CHI. Perẽdie. VR. Num & nos eis ſacris adeſſe oportet? CHI. Maxime, pariter & clericorum ordinem omnem. VR. At apud noſtrates ſoli agreſtes ſacrifico præeunte agros obequitant. CHI. Suus cuiq; regioni eſt mos, qui pro lege eſt habendus.

DIALOGVS XXXIII. LEOPOLDVS ET Seuerus.

De ſpectaculis comœdiarum, tragœdiarumq; exhibendis fabulantur.

SCis Seuere, quæ ſpectacula die craſtino, q eſt à ferijs ſacratiſsimi corporis Chriſti octauus, edi conſueuerint? SE. Qui ipſe ſcire poſsem, cum ſuperiori anno non adfuerim? LE. At audiſſe ex alijs poteras. SE. Quæ ad me parum attinent, ea nõ magnopere ſoleo exquirere. Sed dic oro, quid tandem eſt, quod iactas? LE. Tragœdiam eorum cruciatuum, quos pro nobis tulit ſeruator Chriſtus hiſtriones agent, ſunt enim adhoc delecti aliquot. SE. Quæſo te omnibus etiã adhibitis per-

sonis.LE.omnibus omnino.SE.Ipse in hac fabula mallē durißimi militis aut carnificis personam gerere, quàm ipsius Christi, nam tametsi, ut conijcere possum, res fictè repreſentabitur, ſic tamen abire non poteſt, quin is qui Chriſtum refert, multas interim moleſtias in ſe recipere cogatur. LEO. Et ipſe in hac fabula ſpectator eſſe malo, quàm actor, utcūq; res interim agatur ſeria

DIALOGVS XXXIIII.

BASILIVS ET GREGORIVS.

De coronis geſtandis, deq; earum uario genere colloquuntur.

VNde tu te proripis Gregori? aut ubi hanc coronam roſaceam es nactus? GRE.E foro ueni, mi Baſili, ubi ſertum hoc numo mihi coēmi. BA. At in quē uſum. GRE. Animus eſt eam coronam capiti impoſitam geſtare, Nonne uile tibi uidetur, tot roſas unico numulo parari? BA. Et te tantum aſinum non pudet, puerorū ritu coronatum incedere? GRE. Puderet? Grandes natu, & cani etiam hic gerūt. BA, Nihilo ergo ſunt grauiores, forſan hunc morem à Græcorum mollitie ſumpſerunt, quos apud Homerum ſubinde καρηκομόωντας audio dici, GRE. Vnde ſumpſerint equidem neſcio, hoc ſcio quod geſtant. BA. Num ſolas roſaceas gerunt, et an uiolaceas pariter et liliaceas, aut etiam roſmarino, uel amaraco intertextas. GRE. Omnis generis flores, ac o

do

doramenta concinnant. BA. Faciant ut lubet, ego nihili pendo istas nugas, tantum abest, ut pretio emere uelim, quòd si pecunia superesset, uerum butyrum emere malim, hoc enim in alimentum cederet, cum sertorum si odorem excipias, nullus planè sit usus.

DIALOGVS XXXV.

RHAPHAEL ET SERVATIVS.

De ferijs diui Vrbani fabulantur.

VTinam alas mihi sumere liceret, ut hinc domum auolare possem, etenim nimis quàm cupio crastinum diem in patria transigere, quam facultatem magno emere non recusarem. SER. Quid hic sibi uult? tu te homine exuto in uolucrem mutam uis degenerare? aut quid noui accidit? quod tam repentinum tuum iter postulet. RHA. Rogas? nescis cras ferias agi diui Vrbani? SE. Noui, sed quid tum? RHA. Hunc diuum eodē pene ritu, & ijsdem ceremonijs colunt nostrates, quibus Aethnici olim Bacchum, ut quæ illis erant Bacchanalia, nobis penè sint Vrbanalia. SE. At in quem usum faciunt hæc Christiani? RHA. Putant hoc diuo sic placato, felicius prouenire uuas. SER. O stolidos homines, qui sanctorum numina crapulis, ac compotationibus demereri se credunt, cum illi abstinentia & sobrietate principi Deo placuerint.

DIALOGVS XXXVI.

CORNELIVS ET GVILIELMS.

De commodis ac molestijs uariorum temporum disserunt.

VT nihil est usq; ex omni parte felix. GV. Quid stomacharis tecum mi Corneli? COR. Non iure stomachor, qui me tot malis in hoc mundo mundo obnoxium experior? GV. Quid est, de quo præter cæteros à deo queri poßis, nisi forte paupertatem in ius uocas. COR. Quasi hoc solum sit malum, etiam si grauißimũ uides, & opinor sentis, ut nihil non sit aduersum, hybernis temporibus frigore concutimur, nunc æstus & caniculæ rabies nos excruciat. Interdum quidem ob annonæ caritatem, & nostram paupertatem fame ac siti laboramus, ut taceam interim, nusquã non culices & muscas nobis obuolantes, & corpusculum exugentes, nocte uero cum cimicibus ac pulicibus bellũ gerimus. Ad hæc miseros exterrent, iam fulgura, iam fulmina, iam tonitrua. Mox & Autumnus sexcenta morborũ genera effundet, nonnunq̃ morborũ omniũ pestilentißimum pestem, adde, quòd huius tẽporis occasione plæriq; nostri ordinis, dum stulti frigida lauare uolunt, in rapidis & profundis fluminibus, capitis iacturã faciunt. GV. At tu naturæ parum gratus incommoda quidem, q̃ secum adferunt æstiui menses, accurate recenses, commoda

moda uero, quæ simul præstat præteris. COR. Quæ ea sunt quæso? GV. Rogas? primũ nec igne, nec uestibus ad modũ est opus, deinde tẽpus hoc tot frugum genera donat siliginem, triticũ, hordeũ, tot legumina, fabas, pisa uicias, tot poma, pyra, pruna, mespyla, nuces, iuglãdes auellanas, castaneas molles, racemos, super oĩa uero dulcissimũ mustũ. An hæc parua tibi uidẽtur æstatis & autumni munera? Videris mihi ex eorũ esse grege, de q bus Sen. eleganter dixit, Nemo beneficia in Calendariũ scribit. Postremo cogitandum semper, sic placuisse naturæ conditori Deo, ut in hoc mundo nihil sit hominibus omni ex parte beatum, quo uidelicet ex his mundi perturbationibus ad aliam patriam aspiremus.

DIALOGVS XXXVII.

PANDVLPHVS ludimagistri minister. HIERONYMVS scholasticus. LVDIMAGISTER. Consultant in quam potissimũ academiam studioso sit commigrandũ.

PAN.

Quid tu hoc ante ostium Hieronyme, aut quid hic tibi negotij est? HI. Ludimagistrum conuenire uolebam, Sed pulsare cunctabar, ueritus, ne intempestiue fortasse uenirem, quare te pro ueteri nostra consuetudine rogo, ut hic me adstare significes. PAN. Faciam, tu hic tantisper morare, dum quid rerum sit, huc renũcio, Here, quod iniunxeras diligenter est curatũ. LV. Bene factum. Atqui is est, qui cum pro foribus fabulan

tem te audiui? PAN. Scholasticus quidam, nomine Hieronymus, tibi familiariter notus, qui te, si modo tempestiuum est, coram alloqui cupit. LV. Intromittatur, iā nunc quid uelit, conijcio. HIE. Salue humanißime praeceptor. LV. Et tu saluus sis optime adolescens, sed quid est, quod me uelis. HIE. Paucis dicam, Quia iam biennium te in hoc ludo docentem audiui, utriusq; literaturae prima rudimēta tua ope utcunq; percepi, hortatur nūc me tum parens, tum etiā haec mea aetas maturior, ut hīc in academiam aliquam ad uberiorē ingenij cultum capiendum me conferam. Hoc ut felicius faciam, tuo consilio opus est, nā inter tot, ut uocant uniuersitates, quot iam olim sunt institutae, & hodie paßim nouae exoriuntur, mihi eiusmodi rerum ignaro, difficile plane est eius quae omnium sit instructißima, & meis studijs accōmodatißima delectum habere. LV. Prudenter hic deliberas Hieronyme. Sunt Academiae, idq; ī germania, quas uehementer probem, sunt item quas cupiam uel omnino non esse, uel in totum immutari. Vt enī in re militari duci dux, & militi miles, ut in republ. senator senatori, et ciuis ciui, artifex artifici, ut deniq; homo hōi, sic schola scholae, doctor doctori, magister magistro praestat. Quod discrimen qui non aduertit, operā & oleum (ut aiunt) plaerunq; perdit, ac, ut certum aliquid quod hic sequaris habeas, in hac deliberatione spectandum erit, non quae magnificis aedificijs, tametsi & haec decoris aliquid

liquid addunt, sed optimis omnis generis præceptorib. sit instructißima. Primum, quæ trium linguarum professores habeat, & doctos, et bonos, hoc ut uelint, illud ut poßint recte docere. Siquidem latinam, Græcam, & Hæbraicam linguas in Christianorū scholis doceri pōtificiæ leges iubent, & ueterū theologorū exēpla suadēt, ac deniq; Christianæ reipu. usus exigit. Habeat deniq; theologos, si nō plureis, unū saltē, aut alterū cum scripturarū intelligētia, tū uitæ sanctimonia egregie probatos, tū iureperitos nō minus prudētia, q̄ & facundia laudatos. Ad hæc medicos, quos naturaliū rerū profunda cognitio, & curādi fides perspecta cōmēdet. Postremo philosophos, nō qui sophisticā rixandi pertinaciam ex ineptis barbarorū cōmentarijs inculcent, sed q philosophando Platonis maiestatē, acumē Aristotelis, Theophrasti eloquentiā referāt. Quanq̄ aūt gymnasiū. eiusmōi minoris negotij est describere, q̄ usquā iuenire, ad præscriptā tamē imagiuē utcunq; accedūt hic in uicino sitæ, LIPSIA et VVITTENBerga. Nec ERPHORDIA cuiq̄ est aspernanda, ut nec BASILEA. Super oēs uero triū līguarū profeßiōe floret LOVANIVM schola, uel hoc noīe omniū felicißima, q̄ magnū illū et sapiētiæ & eloquētiæ principē hēt ERASMVM. Et summū illud ecclesiasticæ dignitatis ornamentū. Albertus cardinalis, magnū qddā Mogūtiæ suæ molitur, quod si processerit, erit quo se Germania exteris hōibus uenditet.

Porrò illud in primis tibi cauendum, ne ad sublimes il-
las professiones, quas uocāt, illotis (ut aiunt) pedibu
irrūpas. Quin modis oībus curandū, ut utriusq; litera-
turæ mediocri cognitiōe præparatus accedas. Sic enin
futurū, ut in disciplinis his grauioribus citius & facil
us quo tēdis, peruenias, & rectum in rebus omnibus iu
diciū cōsequaris. Hoc qui caret, frustra se aliquid feli-
citer dicere sperabit. HI. At in eiusmodi scholis recep-
tū audio, ut scholasticorū quisq; præceptorē quempiā
sibi deligat, quo familiariter utatur non tantū ad lite-
rarum studia, sed & formādos mores, hic quid mihi fa
ciundū suades? LV. Quid aliud, quā ut ante quā te ali-
cui in disciplinā dedas, diuitum istorū delitias imiteris
Qui cū multa uini doliaī cellis habeāt reposita, nō sta
tim è quouis bibunt, sed pitisando oībus ex ordine degu
statis, quod firmißimū fuerit & suauius hoc demū in pa
lati sui usum relinūt. Quin ergo & tu, cum ex alijs sci
scitaris, tū multos eximios eiusdem professionis docto-
res audiendo, exploras ipse cui potißimū ingenij tui so
lum rectißime excolēdū loces. Tametsi sunt & aliæ cō
iecturæ, quibus in hoc uti poßis, ut si cui suæ lucubratio
nes insignem peperere famā, si quē eruditorū calculi a
liquot probent, sicuti ab alijs eiusdem musæ æmulis insi
gnite inuideatur, si quem uel iudiciū principis, uel Rei-
publ. consensus à cōtemptu uindicet, si cui magna sit le
ctißimorū iuuenū frequentia, si qui discipulos aliquot

egre-

egregie doctos reddiderit. Deniq; si qui Pythagoræ exemplo, non quenq; statim in disciplinam suam recipiat, & alijs plura ac meliora pluris quoq; doceat. Caue enĩ committas ad quenquã te alliciat sumptus uilitas, aut à quoquã deterreat impensæ magnitudo. Quãdo fere fit ut qui paruo docẽt parua, qui magno, magna quoq; doceant. His indicijs si prudenter uteris, uix unquã tibi ĩponet quisquam. Cætera rerum usus optimus magister ætatis progressu te facile edocebit. HIE. Sat est. Quod restat pro salubri adeo consilio, gratias tibi immortales agit tuus Hieronym. si quãdo dabitur facultas egregie quoq; relaturus. LV. Nihil addubito, Tu, quod tibi felix ac faustuu sit, ad bonarum artiũ mercaturã proficiscere. Vale.

FINIS.

DIALOGI

PVERILES CHRISTOPHORI Hegendorphini XII. lepidi æque ac docti.

DOCTISSIMO VIRO SIMONI
Pehm Gymnasiarchæ in monte Di-
uæ Annæ, Christophorus He
gendorffinus. S. D.

CIrcunferuntur paßim, uir doctiß. Dialogi uirorum doctißimorum, pueriles loquendi formas re presentantes. Id quod uix dici potest quã pueris usui futurũ sit. Errant illi & uehementer errant, qui non his loquendi formulis appositis, puerorum linguã, expolitiorem reddere laborant. Erasmus ille magnus alicubi hoc ipsum cũ pueris faciundum esse admonet, eius calculum, nemo non candide probat. Quapropter & ego illorum uirorum stimulis excitatus, Dialogos quosdã ludere cœpi. In quibus si non omnia uirorum superiorũ uestigia imitabor, ignoscere debes. Mihi non tam propitius Mercurius est. Mihi non tam dulces camœnæ, quicquid possum, reddo, non gloriolæ choragiũ ambio, contentus, si quantulacunq; utilitas ad bonæ mentis adolescentes emanarit. Tibi autem uiro doctis. dedicare hos dialogos uisum est, q̃ soleas rebus ipsis impensius fauere, ex quibus puerorum lingua utcunq; expoliri põt. Et non paucis annis huc omnes conatus destinasti, puerorũ ut balbutiei succurreres. Et ego mutuam tibi operam præstare non erubesco. Tua humanitate fretus, qua neminem nõ in & laboris & honoris collegium asciscis. Accipe igitur quicquid est xenioli, grauiora, Deo auspicante, dabimus, si has nugas nõ omnino displicuisse uidero. Vale.

DIALOGI.

GEORGIVS

ET CHRISTOPHORVS DE VERIS *temperie colloquuntur.*

GE.

SAluus ſis mi Chriſtophore. CHR. *Et tu ſalue.* GE. *Quid rerum agitur hoc iam ueris tempore?* CHR. *Nihil equidem rerum, niſi q̃ plurimum gaudeo aſperũ hyemis tempus defluxiſſe, atq; iam ameniſſimam ueris temperiem appetere.* GE. *Ecquid refert quo tempore uiuas, modo in literis uiuas?* CHR. *Tu Pol homo nõ es ſobrius, hyeme, quæ mala exhauriamus, tuo ipſius, ut opinor periculo expertus es. Nempe q̃ male ueſtitus, & ſæuiente iam bruma, ciuium domos quæritandi uictus gratia oberrare cogeris, & aliquando ita frigore manus obrigeſcunt, ut ægre ollam in manibus geſtare queas.* GE. *Belle narras, acu rem tetigiſti, ſed ego hoc ipsũ infortunium, Deo laus, nondum expertus ſum, ut qui à parentibus ſemper tot commeatus capiam, quo hyemis ſæuitiam propulſare poßim, quamuis nõ ita exhauſtus ſum, ut neq; quid edam, neq; quid bibam, reſtet.* CHR. *Non eſt q̃ te hoc tẽpore maceres, in patriã cõcede & cõmeatu, in futurum æſtiuum tempus, te inſtrue.* GE. *Memorẽ mones, & ut Home. ait,* σπεύδοντα ὤτρε

uē. Ego ipse iā cōmißionē à præceptore petiturus quō in patriā me conferā. CH. Et mihi animus esset, patriā inuisere, si sperarē me quippiā à patre corradere poße. Sed è pumice citius, sat scio, aquā extorseris q̃ unum à patre numulum. Tam philargyrus est. Tam semper ueretur ne ad incitatē redigatur. GE. et quæ malū dementia est, patrē uelle literis te addicas, & non mutua pecunia studia tua, alere & fulcire. Pecunia opus est, alioq; nihil omnino in literis agas, necessum est. Vnde nō immerito Comicus quidā Plutū diuitiarū Deū loquentē facit διὰ μὲ πάντα γένονται. i. per me oīa fiunt. CHR. Quid agis? ego, quantū in me situm est, reddo, proborū hominum opera suffultus. Nā hactenus, laus superis, nūquā pecunia defuit, ad cōparanda dictata scholastica. GE. Sed hac de re posthac, ne in lente unguentum, quod dicitur. Nunc quod nostri est instituti, effectū curabimus. Accedamus præceptorē. CH. Sat scio non permittet nos patriā inuisere, uix enī quadragesimæ carceres ingreßi sumus. GE. Tu Pol tuam ipsius umbrā reformidas, mihi negociū curandū da. CHR. Deus feliciter uertat. PAN. Ad malos coruos, quis ita fores pulsat? En Georgi, En Christophore, quid uestra cupido est? quid aduentus uester præ se fert? GE. Est præceptor intus? PAN. Est. GE. Quid rerū molitur. PAN. A prandio domum rediȷt, ultro citroq; commeans. GE. In tēpore aduenimus, paucis eū cōpellare uelimus, nisi aliȷs uacaret

PAN-

PAn. hic pedē figite, donec reuertar, periculū faciā qd rerū agat. PAN. Præceptor humanisß. sunt pro foribus duo adolescentes, qui paucis cū tua humanitate agere uolunt. PRAE. Qui sunt? huc accersantur. GE. Salue Præceptor humanisß. PRE. Et uos saluete, qd est quod me uultis? GE. Non ignoras præceptor humanisß. iam quadragesimæ tempus instare, in quo non parum propter cōmeatus penuriam, fame maceramur, pecunia ad uiuum usq; denudati, nec obulus restat, quo restim emamus. Quare uelim tuo fauore patriā repedare nobis liceat, gratias interim agentes, q nos in scholasticorum album ascripseris, & optimis quibusq; artibus nos erudieris, olim gratias relaturi, si quandp per fortunā nobis licuerit. Et quod in præsentiarum nobis non datur, Deus. Op. Max. cumulatius rependet. PRAE. Mirū est uos tā cito hīc auolare uelle, octo aut āplius septimanæ supersunt, priusq̄ prælectiones uestræ ad umbilicū deducātur, & uos iam hinc discessum adornatis, si meo cōsilio obtemperare uultis, quod arbitror uos non infrugiferū experturos, ad unā aut alterā hebdomadam nobiscū duraretis uelim. Nihil negocij uobis domi est. GE Fames ipsa nos domū abigit. PRAE. Dij boni, si alij non fame pereunt, nec uos, ut opinor, fame peribitis. Tum si nihil aliud hic remorari posset, hoc saltem remoram uobis inijciat, q his diebus, peccatorum detestandorū rationem uobis tradam, quo in sensus nouitate reforma

ti, Christo fructus edatis in patiētia, Trāsitum, Pascha Hebræis sonat. Nēpe quòd ex hominibus iā ex peccatorum tyrānide, ad uitæ libertatem aspirandum est. GE. Tā lubenter hoc discere uelimus, quā nobis usui futurum scio, sed parentum affectus hic diutius agere non patiuntur. PRAE. Vt lubet, uos inuitos seruare, non cōsilium est, per me ergo domum proficisci potestis, modo date operam, ne moribus subagrestibus apud parentes geratis, ne suspicentur uos illā morum luē in ludo nostro cōtraxisse. GE. Faciemus oīa sedulo, remis tum uelis conantes, ne ludo tuo dedecori simus. PRAE. Ite ergo fausto auspicio. GE. Valeat tua humanitas fauſtiter præceptor humanißime.

HENRICVS, FRIDERICVS De æstate colloquūtur, & in quē ludum literarium proficisci uelint. FRI.

VT uales Hērice? HEN. Optime ualeo, quo in cardine res tuæ aguntur? FRI. Omnia læta, omnia auspicata, cum parentibus satis superq; egi, in ludum triuialem me conferam, sub docto aliquo præceptore militaturus. Tu si te mihi comitem addere uis, gratum erit, ut quod maxime. HEN. En optato res cadit, diu mecum cogitaui, in ludum aliquem proficisci uelle, nec ego solus iter facere soleo. Tu ergo mihi comes uel multo gratißimus diuina, ut dicitur, uirgula oblatus es.

FRI.

FRI. In quem autem ludum te tradere animus est. HEN. In quemcumq; tu uolueris. FRI. In Lipsensem, audio enĩ illum omni studiorum genere uel ĩprimis florere. Tum Gymnasiarcha, illi ludo præfectus est, homo mire facundus, & in nullo non sciẽtiarum genere Roscius. Ad de quòd urbis ipsius celebritas, me illuc adigit. HEN. Sed audio pestem illic uehementer grassatam esse. FRI. Amici cuiusdam literis compertum habeo, pestem desæuisse, Academiæ quoq; magistros illuc pedem retulisse. HEN. Non fieri potest, ut pestis omnino desæuierit, si scholastici ex omnigenis oppidis, in quibus hactenus pestis populata est, consederint, ex afflatu ipso peste corripiamur, oportet. Præsertim his æstiuis mensibus, quibus nõ raro tam numerosa scholasticorum turba confluit, ut eam uix capiat ludus. FRI. Quid cornicaris inepte. facile est inuenire futelas, quibus tuam inertiam oppallias. Nos non soli illic erimus, cum alijs adolescentibus fortunæ experiamur aleam, siue moriemur, siue uiuemus, Christo moriemur, & Christo uiuemus. HEN. Tum, ut audio, non licet æstiuis mẽsibus frigida lauare, nec cerasis decerpendis mutuam agricolis operam collocare, nec aliquot dies scholis abesse, plus quàm Argos illic agere, audiui, qui circumforaneã illam turbam obseruent. Nec desunt Corycei, qui clandestinos sermunculos, quos amicus cum amico nugatur, ad præceptorem deferant. FRI. Iam audio quàm nihil

ſcholaſticum in te ſpiret, ſcholaſticum agere uis, & ruſticorũ negotijs te immergere cupis, ſcholaſticus ἀπὸ τῆς σχόλης dictus eſt, hoc eſt ab ocio literario, nempe qui ruſticarũ rerum labyrinthis exemptus, ſe totum literis addicit. HEN. *Sed quis ſemper literis operam nauare pōt? Omnium rerũ ſacietas eſt. Vide tu ne ſtudium plus quã adamantinum ĩ neruos abeat.* FRI. *Tu unius oboli gratia, literas, ſat ſcio, deuoueres.* HEN. *Quæ Pallas tibi hæc in mentem miſit?* FRI. *Audio te ceraſis carpendis addictiorem eſſe, quã, ut literis bonis aliquã ſementem facias.* HEN. *Non ſemper patruos ſapere oportet, ludendũ aliquando par, impar, equitandum in arũdine longa.* FRI. *Adoleſcentes ſumus, Non eſt quòd doctiſsimorum uirorũ collatiõe noſtro otio blandiamur, ſi eo erepſerimus, quò illi ueluti in Olympiade euaſerunt, ea feriandi à literis libertate utamur licebit. Iam illud Titi Veſpaſiani in intimos pectoris receſſus inſculpas oportet, qui dũ aliquando recordaretur, ſe aliquo die, nihil egregij præſtitiſſe, ò me τρεῖς κατάρατον ait, ille dies hodie perijt. Id quod Apelles pictor ille nobiliſſimus, non inſtrenue imitatus eſt, qui nullum diẽ abſq; linea eſſe oportere dicebat.* HEN. *Sed iã nõ ignoras, quã ſolis æſtus ingraueſcat, & quã capita Anticyris digna faciat.* FRI. *Non eſt quòd ſolis æſtus te prægrauet, ſi interdiu prælectionibus audiendis, tempus impertias, diluculo uero è lecto ſurgens à capite ad calcem uſq; repetas, optima quæq; in memoriæ theſaurum deponas,*

hoc agas oportet, si non uis ex paleis tuorum laborum inanes culmos excutere. HEN. Iam in uiam reduxisti, iam reddidisti animũ, quoquo tu perfectus eris, ego te comitabor.

IOANNES, SEBALDVS.

De autumni tempore confabulantur.

EC quid agis Sebalde? IO. Ecquid agerem, iam supellectilis meæ sarcinam colligo, domum aduolaturus. SE. Hui tam cito? IO. Cito? Bartholomei feriæ elapsæ sunt, Mariæ natalis in foribus est. Vix domum rediero, & Michaëlis feriæ, me anteuertent. SE. Ecquid te domum abigit? IO. Vindemia iam faciunda est, et me musto, in lacunis subscatente, ad plenum usq; explebo. SE. Homo es Baccelus, qui musti gratia studiorum iacturam facere uis. IO. Prælectionibus omnibus iam quasi Colophonem imponent. SE. Si expectare uis paulisper donec literas patri perferendas, conscribam, te rursus uisam. IO. Seculum effluet, quã hic me auellero. SE. Nõ uelim ieiunus iter ingrediaris. Nã medicorũ præscripto constat, Autumnum magnum malorũ agmen hominibus adferre. IO. Sæpe demirari solitus sum, cur in Autumno homines in tot malorum genera cadant. SE. Medicorum calculus est, propterea in autumno uarijs uicijs hominum corpora affici, quòd prima luce, nescio quod frigus panicum homines inuadat. Meridie autem calor quidam repentinus oboriatur. Vnde ex illa tem-

poris uarietate corporum crasis perturbatur. IO. Iam audio in medicorum diatribis enutritus es, ut qui tā archana medicæ rei mysteria, ueluti ex tripode pronuncias. SE. Tum autumno quid Lipsiæ fiat, scis? IO. Qui ego scirem? Tu qui olim illic uersatus es, apertis ut dicitur, tibijs edissere. SE. agricolæ idies plenos, pomorum pyrorum, mespilorum, calathos in forum asportant, ubi aliquando ego græca fide mercari soleo. IO. Quibus autem strophis eludis, ne ab agricolis arripiaris? SE. Gygis annulo utor, uel alium mihi adiungo, qui poma et pyra licitatur, et cum agricolæ in gremium mihi numerarunt, ego me, in pedes, quantum possum, proripio punica fide exoluens. IO. Solent autem ne te insequi? SE. Qui insequi me alio circunstante possunt? Verentur ne dum Iunonem insequantur, in nubem incidāt, hoc est, ne dum paruo cuidam damno mederi uolunt, in grauius prolabantur. IO. Quid si ad magistrum deferent te, quot quæso plagas tibi lucrifaceres. SE. Quid? ueluti Elephantina cutis iacula eijcit, sic & mea cutis ad q̄uis flagra occalluit. IO. Iam cretisare uideris. SE. πενία τέχνασ ἀγείρει, ut quidam dixit, hoc est, paupertas Artes excitat, & fames ipsa Chameleonta agere docet. IO. Audiui quondā à meo præceptore, apud græcos morem fuisse, quòd famem uirgis ex ædibus eijcerent, dicentes foras famem, intro diuitias & sanitatē. SE. Vtinam & ille mos apud nos duraret, sed plus iam

æquo

æquo detineo te. IO. Minime gentium, si quid aliud uis, dicito, omnia sedulo exequar. SE. Parẽtibus narra me in literis gnauiter uiuere. Alioqui si rescirent me aliquando ineptire, ne numulo quidem auxiliares manus porrigerent. Sacerdotium satis amplum mihi impetrarunt, si eo eruditionis progredi possem, quo sacrificio celebrando sufficerem, in cœlo essem. IO. Belle narras, sed q quæso sacrificio celebrãdo par esse potes, si uerba nec quidem intellecta, Deo obmurmuras? SE. Nõ solus ego in eo ludo sum. Multi in easdem ansas ĩciderunt IO. Sed errantium multitudo, non facit errori patrocinium. SE. Ego non manum uerterim, modo numos mihi uenari poßim. IO. In Remboth, ut audio, hominum genus degenerare uis, quod pietatem ipsam ne pili quidem faciebat, in cute curanda plus æquo operans. SE. Sed ego te itineri accinctum, distringo, uale igitur, & fausto omine patriam adeas, lætiore ad nos recurras. IO. Et tu interim uale, siq; fortuna tibi benignius arriserit, fac mei memoria non pectore effluat tuo. SE. Hac ego te cura leuo, nam qui possem tam dulcis congerronis non meminisse? IO. Vale igitur.

BARTHOLOMEVS ET
Petrus.

De tempore æstiuali colloquuntur.

QVid ita eiulas ò Bartholomee? BAR. Cur non eiularem uel sanguine, ut dicitur flerem, scriba domi est qui subinde me uirgis cædere, egregius flagrio, solet, nisi ad facietatem usq; cibos illi subministrauerim. PE. Ego non huius, illud de sale emptum mancipium facerē, si cibum ad usq; clamando emendicatum, illi ipsi suppeditare deberem. BAR. Nihil grauarer, si æstiuum tempus nobis incumberet, sed his hybernis mensibus, mirum est quanto negotio cibus emendicandus est. Nō raro ad octauæ horæ signum ad ciuium ædes aßidere cogor, ut carunculæ portionem prærancidam extorqueam. PE. Solent ciues alioqui pueros subornare qui quotidie certis cantilenis pro foribus cantillant, inde pecuniarum messem, uel multo uberrimam demetentes. BAR. Concentores quos uocant, quicquid est pecuniarum, ueluti bolum è faucibus præripiunt, Ego κόκκυγος in morem eadem catilena ciuium aures enecare soleo, unde raro triuncium lucrifacio. PE. Cur & non tu Musicam artē addiscis? BAR. Non ex omni ligno fit Mercurius, nō omnes, omnibus artibus appositi sumus. PE. Non tam Apollinis oraculum, quā hoc uerbum, uerum est, sed tamen solent ciues, quosdam adolescentes uulgaribus cātilenis subornare. BAR. Quid hoc est? Ex una septimana uix semissem reliquam facio. PE. Sed tamen ad eum modum increscet cumulus Hesiodius. BAR. Sed scriba nescio quas nugas agit. Me secordiorem esse ait, quàm ut

ut numulum domũ adferã. PE. Si tã ſuis, ut fertur, moribus homo eſt, cur non illum miſſum facis? BAR. Tum ſi cibaria domum attulero, non igniculus ſuppetit, quo recalefaciam. PE. Quanto precio agere in ſcholis hyberno tẽpore datur? BAR. Sex argenteis numis. Nam Cantori ipſi in ipſis diuæ Catharinæ ferijs, argenteum nummum ſuppeditamus, & ſingulis tribus hebdomadis nummũ antiquũ damus, & neſcio quæ alia à nobis exiguntur. Tum annua uectigalia pro diuerſorijs dependere cogimur. PE. Prò hominum fidẽ, mihi nulla pecunia tam inique poſtulari uidetur, quã quæ pro diuerſorijs exigitur. Male illi ſit, qui hunc cenſum primus inſtituit, nudo ueſtimenta detrahere uoluit. BAR. Emori citius uideas, quã ut uel obulum in ea pecunia remittant. Tam è flamma, ſat ſcio, pecuniam peterẽt. PE. Et uobis olim, lignis uendendis, pecunia impendenda erat, ſed ciues plæriq; nos hac pecunia leuarũt. Vnde quotidie canticum quod Salue uocãt, in templo detonare cogimur. BAR. Sed frigore nullo tangimini, calidum enim ſemper uaporarium eſt, in quo frigora diſcutere poteſtis, & crede mihi in longe meliore uiuis ſorte, quàm ego. PE. Veriſsimum eſt quod Horatius dixit, Optat ephippia bos piger, optat arare caballus, Hoc eſt, nemo ſua contentus ſorte eſt, ſemper aliorum ſortem magis admiramur. BAR. Neſcis profecto, neſcis, quantis negotiorum labyrinthis immergar. Hoſpes meus ſubinde pro-

cænium peragere solet, & ad intempestam usq; noctẽ somnum protraho. nec uesperi ullius libri inspiciũdi copia datur. Ceruisia semper afferẽda est. PE. Et mihi ad octauæ horæ signum uicatim ἄνω καὶ κάτω cursitãdum est, ut uel iusculum mihi parem. Tu autem opiparis quotidie cibis, uentriculum exatias. BAR. Mallem ego tenuius uictitare, quã cibi gratia studiorum iacturam facere. PE. Qualem ego fortunam nactus sim, ignoro, nisi ego me olim ex illis fortunæ tumultibus extricaturũ sperarem, malis illis ceu tempestate afflictus, conciderẽ. BAR. Has nugas missas faciemus. Sed scis quid crastino die laboris in humeros nostros resideat? PE. qdnam, nobis prima luce è lecto surgendũ est, ad diuæ uirginis sacrificium canendum. Tum cantilenæ, in Christi natali canendæ non parum temporis exigunt, et nescio quæ alia laborũ ilias exhaurienda est. BAR. Dabit his Deus quoq; finem, quippiam iam pietati dandum est, ut ut enim in sacris sementem feceris, ita & metes. Christi iam aduentus à nobis, obuijs, ut fertur, manibus expectatur, omnibus nobis elaborandum est, quo sese in nostram mentem per gratiæ suæ charismata diffundat. Et nobis gratiam ad mensuram det, quemadmodum olim à concionatore non indocto accepi. BAR. Belle narras. Quare quicquid est frigoris, quicquid est tædij libenter decoquemus. PE. Ego quidem nullum reformidabo laborem. BAR. Quare mutuo in acie certabimus.

DE

DE EPIPHANIAS FERIIS

Thomas & Sebastianus confabulantur. SE. DEus auspicatum tibi conferat annum. THO. Et tibi det omnia alba contingant. SE. Quid uero mihi pro Xeniolo uel strenula mittes? THO. Qui tibi mittam, cũ nec obulus ad emendos panes suppetat, quo latrantem stomachum exatiam. SE. ego uel Calabri hospitis munera, boni consulam. THO. ego arbitror patrẽ breui aduolaturum, ꝗ si aduenerit, omnia in portu erunt, & ne asymbolus apud te sim, curabo. THO. Non soleo lubenter spem precio emere. SE. Si expectare nõ uis, præuertere hebrum potes. THO. Vnde quæso missitandorum munerum ratio apud Christianos radices egit. SE. Tute lepus es, & pulpamentum quæris? THO. ego, quantum ab alijs habeo, referam, arbitror primũ illis Xeniolis homines sese mutua salute impartire, & ueluti aggratulari, quòd Dei benignitate incolumes, totius anni spacia emensi sint. Vel quod propius uero est, quia illis ferijs tres Magi mysticis quibusdã muneribus, Christum regem demeriti sunt. Sic Christiani in Christianæ charitatis symbolum, Apophoretis mutuo amicitiam iungunt. SE. Non à ueritate abhorrent, quæ edisseris. sed Circumcisionis feriæ, cur quæso ab ecclesia institutæ sunt? THO. Nõ in Theologorũ harena nõ unquã exercitus sum, sed tamẽ quæ ab alijs audiui recẽsebo, Circũcisionis feriæ propterea peragũtur, ut quẽ

admodū Christus in præputij carne amputatus est, si
& nos ab affectibus amputemur, exesas ipsarum uol
ptatum carnes excindentes, ne animæ lepram adferāt
Ita enim quidam dicebat. Hiero. illum sacrum in lib. d
uera circuncisione, disputare. SE. Quandoquidem, i
Theologorum campo iam congressus es, Epiphania u
de nomē promeruit? THO. Quanquā hæc à nostra pr
feßione parerga sunt, & quasi extra oleas, ut dicitur
tamen quæ à præceptore olim prælegente, excepi. In s
num tuum effundam, ἐπιφάνια dicta ἀπὸ τοῦ ἐπιφα
νέω, hoc est appareo, nempe quod tunc Christus Magi
ipsis, nostra īdutus carne, apparuerit. Nec uero Mago
accipies, maleficos quosdā fuisse, ut Augustinus uult
sed sapientiæ studijs deditos, & syderum cursus peri
tos ex felicißima Arabia prodijsse, in qua ex auro &
argento uasa, lectos, Tripodes, facere consueuerant
qua de re præceptor noster Picum Franciscū in li. pra
notionum adducebat. Iam habes uno, ut dicitur, uerbo
quod à me petijsti. SE. Et iam ad uesperarum precū sa-
crificium eundū est, si nō plagas lucrifacere uolumus

DE FESTIS BACCHANALIBVS
Philippus & Melchior collo quuntur. MEL.

FEsta iam Dionisij appetūt, quo mihi nil gratius ob
tingere posset. PHI. Quid tū? MEL. Quoniam ad
sati

ſatietatem uſq;,me omni ciborũ genere explebo. PHI. Sed poſthac in quadrageſimæ tẽpore fortiter eſuriturus. MEL. Vt ut res cadat,ſatis beatus uideor,ſi ſemel atq; iterũ uentriculũ diſtendero. PHI. Quo autẽ te profers? MEL. recta ad forum eo,ollas empturus. In quas uictum capiã. PHI. Emere ſoles ollas punica,ut opinor fide. MEL. Non niſi arte Pelaſga, figulos deludere poſſum,nõ ceſſo Planum agere. PHI. Quid ſi arripereris. MEL. Pedes mihi remedio ſunt. PHI. Præceptor remiſſionem à ſtudijs,ut audio,ad tres dies dedit. MEL. Si tres addidero nihil,ut ſpero,damni adferet. PHI. Ego certe octo dies mihi ad hæc feſta ſumam, neceſſum eſt, ſi modo tempori,ut dicitur,ſeruiendum eſt. MEL. Næ tu mecum uehementur ſentis, ſed tamen ita Baccho indulgebimus ne à muſarũ aris recedere uideamur. PHI. Sed heus tu, cur nam Baccho has ferias conſecrarunt. MEL. Nempe q̃ his diebus nemo non Anticyra egeat, nemo non inſania corripiatur. PHI. Et Baccho cornua cur affingunt? MEL. Quippe quòd olim poculorum uice cornua fuerint. PHI. Iam ſatis teneo. Tu uale.

NICOLAVS ET IOANNES De rerum ſalutatione colloquuntur. IO.

ECquid portas mi Nicolae. NI. Cantharum ceruiſiæ Neupergenſis, domino meo ex ciuiũ,ut uocãt, cellario,affero. IO. Mi Nicolae,perquã uelim formulam quandam ceruiſiæ conſecrandæ præſcriberes. He

ptus meus indies negotiũ mihi faceßit, q̃ rustice ceruisiã consecrem. Nec ipse me melius edocere põt. NI. Nõ credis mihi, q̃ ægre liceat latinum sermonem, ad uernaculum illum accommodare, sed tamẽ quantũ ex meo præceptore audiui, in sinum tuum effundam. Cum ergo Ceruisiam consecrare uis, dicere potes. Ceruisia uobis saluti sit. Ceruisia uobis commodo sit. Ceruisiam Deus sua bonitate consecret, ne quid noxij uobis ingeratur. IO. Iam rem teneo, qua autem ratione ab aliquo salutatus, respondere soles? NI. Si salutor, salue mi amice, respondere soleo, & tu identidem salue. Cum salutor, saluus sis, respondeo & tu saluus sis. IO. Bene se res habet, oĩa teneo, sed cum mane aliquem accedis, qua salutatione eum dignari soles. NI. Dicere soleo. Bonum mane, Bona dies, cum in meridie aliquem adeo, dicere solitus sum, plurimũ salue, uel saluete, salua sit tua humanitas præceptor mi amantißime. Cum uero abeo, dicere in more habeo. Viue & uale, uel uiuat & ualeat fausititer, tua uel uestra, humanitas. IO. Sed quo quæso modo efferre uelis, bibite bonum Ioannis. NI. Haud scio an oratio latina, ad id genus locutiones uernaculas aspirare poßit, dicere tamen uellem, bibite postremo nobiscum, bibite nobiscum nomine Ioannis, nam ne ullus quidem fons in itinere occursat. IO. Bene se res habet, gratias tibi habeo, aliquando curabo ne asymbolus apud te sim. Sed heus tu, unus est scrupulus, qui me non raro male habet.

Cum

Cum somnum capere uis, qua quæso salutatione abire soles. NI. Dicere soleo, ego somnū capescere uolo, uos quoq; quando lubitum est, quieti uos tradite. Vel alio orationis habitu efferre potes. Deus uobis omnibus noctem tranquillam impertiat, uel quiescite feliciter, quietem capite suauiter. IO. Omnia in portu sunt iam, uale feliciter. NI. Et tu uale.

BARTHOLOMEVS ET MATTHAEVS De uarijs rebus colloquuntur. BAR.

PRosint tibi balneæ mi Bartholomee. BAR. Et tibi omnia prosint. MAT. Balneæ ut tibi arrident? BAR. Si mihi adeo arrisissent, diutius inibi morā nexuissem. MAT. Scis quid rerum nouarum Africa apud me produxerit? BAR. Modo omnia dextra sint, noua non illubenter audio. MAT. Et ludus literarius tibi scopis uerrendus est. BAR. Dij boni, an ne hoc nouum? hoc negotij mihi datum esse non clam me fuit. MAT. Scopas ubi compares nostin? BAR. Apud famulum furnarium. MAT. Aliud autem audire uis? BAR. Si tam bullatas nugas expromere uis, taceas malim. Miror qui tam Hyberijs nugis nos onerare poßis. BAR. Putabam me uelle tibi timorem incutere, si rē paulo atrotius adornarem. MATTH. Quid rerum est, edissere πάυσαι λεπτολόγειν, ut græcæ dicam.

MAT. Cubiculum nostrum quoq; tibi scopis expurgan dū est, sordes ad carnificinam exportes, necessum est, tenui potu mēdicando occuperis oportet. Et nescio quæ alia laborū ilias tibi hodie exhauriēda est. BAR. Ecq̄ malū infelicitas est. Miror hodie tantū laborū sarcinā in humeros residere, per integram hebdomadā uel Epicureo Deo, ociosior fui, & hodie nihil non laborum mihi obeundum est. MAT. εὐφήμει καὶ τύχην πάρουσιν εὖ ποίει, hoc est, bona uerba quæso, & fortunam præsentem boni consule? BAR. Ecquid incommodi tibi accrescere posset, si me mutua opera iuuares, & meam operam in rebus tuis sedulo experturus? MAT. Quid ni? mori tecum uellē, tantum abest, ut non in hac re auxiliares porrigam manus. BAR. Sed hinc abeūdi tēpus. Tātū non uide post festū, ut dicitur, approperemus. MAT Quid? uix secundæ horæ signū tactum est. BAR. Si adhuc tam maturo est domū abibo, ius quod heri uesperi reliqui feci, uentriculo donabo. Tandem tua opera adiutus, dicto citius quicquid est laboris expediā. MAT. Tu modo iam ne diu moras necte.

MARCVS, PETRVS De eleemosinis colloquuntur. MAR.

VT uales Petre? PE. Maceratam uiuo uitam, sed tamen incolumem & inconcussam. MAR. Quot eleemosynas hodie emendicatus es? PE. Vix unā aut alteram.

terã. Nã nescio quo pacto ciues oẽs fame contabesce-
re uolunt. MAR. Nõ calles, audio, qua uia eleemosyna
rum uindemiã facere poßis. Non oportet statim à fori
bus pedem moueas, si importunius tibi obgannierint, ur
gendi sunt, & si crebro iacias, Venerẽ iacies, ut in pro-
uerbio est. PE. Quid? non raro me lapidibus minantur,
nisi è limine discessero. MAR. Iocantur tecũ, ego per-
starẽ, uisurus quorsum res abiret. PE. Ego posthac me
tibi comitem in emendicando pane adiungã, alioqui an
te diẽ, sat scio, fame mortẽ oppetã, necessum est. MAR.
Quid ni? Ego omnibus machinis, tuæ paupertatulæ ob
uiam ire uolo. Num uides quo pacto soleã mulieres il-
las cadauerosas à foribus arcere, & solus prædæ inhi
are. PE. Bene se res habet, Non ullus me à latere tuo ar
cebit. Iam autem uale.

IOSEPHVS ET GEORGIVS De ratio
ne studendi colloquuntur. IO.

SAlue plurimum mi Georgi. GE. Et tu salue, quo te
profers? IO. A præceptore domũ eo. GE. Sub quo
tu præceptore stipendia literarum facis? IO. Sub hoĩe
non uulgariter docto. GE. Qua nam ipse in te erudiẽdo
uia utitur. IO. Sub tempus antelucanũ & græca & la-
tina declinatione exercet. Et logicis quoq; ἀποδείξε-
σι me instruit, quomodo argumentorum panoplian cõ
parare poßim. Nugas quasdam tenues ad Macariã, ut

dicitur, mittit. Nam, plerosq; refert eam tradere logi-
cam quam priusquã addiscamus obliuio quædam obre-
pat, quemadmodum de Strepsiade Comicus quidã scri-
psit. IO. O te felicem cui talis obtigit præceptor. GE.
Tum tempore pomeridiano Grammaticã Philippi Me
lanchtonis iuuenis, ut ego audio, in utraq; lingua ex
quo suspiciendi, prælegit, subinde electas authorũ græ
corum sententiolas, & Chrias quasdam ueluti Coroni
des adiungens, quibus uelut melle prælito præceptio-
num absynthium edulcat. IO. Ni plane lapis sis, doctus e
uadas oportet. GE. Tum quò cum literis literatis Chri
stum ipsum imbibamus Erasmi Roterodami Enchiridiõ
prælegit, ex quo ueram pietatem cum eloquentia con-
discere possumus. IO. Et quis nõ sub tali præceptore sa
peret? GE. Tum subinde me thematis exercere solet,
Thema quoddam exponens, & tractandi ductum præ-
scribens, non raro declinationibus me exercet, breui-
ter mihi explicans, quæ in prooemio conciliandi ratio,
quæ narrandi lux, quanta in diuidendo prudentia habẽ
da sit, quàm subtilis et crebra argumentatio, quibus ui
ribus inspiret, & ut summatim dicam, quicquid ad ora
tionis artificium requiri solet. IO. En ista tua oratione
in alienum, ut dicitur, mundum tralatus uideor. Tã no-
ua instituendi ratio mihi occurrit. Chameleonta, ut au
dio, agit præceptor tuus. GE. πλησμόνη πάντων ut Co
micus quidam dixit. Quapropter uarijs rebus animũ

exercere ſolet, ne eadem per eadem audiendo, retundé-
tur. Quis enim præceptorem non niſi cupreſſum ſi-
mulantē? IO. Quibus ergo alijs rebus uacare cogeris,
GE. Subinde & Græcæ & Romanæ epiſtolæ mihi con-
ſcrib endæ ſunt. Indies aliquid in memoriam reponendū
ne memoriæ theſaurus negligatur. IO. Hoc ipſo ut dici
tur temporis puncto à meo præceptore deſciſcam, atq;
in tuam ſcholam, ceu literarum militiam nomen dabo.
GE. Sat ſcio, intra unius anni ſpacium, plus promoue-
bere, quàm ſi alioqui in alijs φροντιστηρίοις ad ſex aut
amplius annos computreſcas, plæriq; enim præcepto-
res multo indoctiores diſcipulos reddere ſolent quàm
acceperunt. IO. Tuo conſilio nihil mihi prius erit, poſt
hac ego maiore beneuolentia te mihi obſtringam, quā
hactenus deuinxi. Non putaui enim te adoleſcentem eſ-
ſe tam raro ingenio. GE. Quo ſim ingenio, neſcio, hoc
certe de me polliceri auſim, me non obſcure uidere poſ
ſe, quid diſtent æra lupinis, Et quàm Corydus in aliarū
auium numero ruſtice obſtrepat. Tu modo ne animum
ad deſperationem conuerte. Commodius poteris initio
mederi, quàm fini. Aetas iuuenilis in quemcumq; habi-
tum ſequax eſt. Aetas uero decrepita, mirum eſt, quàm
intractabilis ſit, quàm ſaliuam illam primam, quam o-
lim imbibit, ſemper reddat. Vnde Paremiacus eſt
ſermo, Senis mutare linguam difficile eſt, & quia

ſenex eſt Pſitacus, ferulam negligit. IO. Tu Pol puer es præcoci ſapientia. Catonem aliquem iam me audire putaui, non Adonidem quendam puerum. GE. παύσαι λήρων, ut græce tecũ loquar, quod animo tuo deſciuiſti, non in hyperbetea, uſq; profer. IO. Iam eo, tu interim uale.

GASPAR ET BALTHASAR.

De repetundis lectionibus confabulantur.

BAL.

ECquid agis Gaſpar. GAS. Qua uia lectionibus iam repetendis, uteris. BAL. Primo ſolitus ſum uulgarem accommodare rationem, tum ad Grammatices coticulam omnia exigere, inuentionis acumen expendere, omnium uocularum ſitum ſubducta ratione ad calculum uocare. Tandẽ ſi quod noue uel priſce dictũ occurrerit, in nidos ad id paratos conuehere, ſi quæ παροιμία, ſi quæ ſententia inſignis, ſtellis, ut dicitur, notare ſoleo. Et ea quæ inſigniora uidentur, in memoriæ theſaurum deponere, ſubinde à lectione ſurgens, & animo meo utcunq; uoluens, quæ legi. Nec deeſt Enchiridion, in quod quicquid eſt illarum opum, ceu promptuarium, repono. Et ea uia utendum eſt, τὸ εἰς ἄφενον σπεύδοντι, id eſt, properanti his diteſcere opibus. GA. Næ ego homo ſum, uel Morycho ſtultior, qui talium rerum omnem curam abieci. Alia ſuper alia legens. Nec ani-

nimum aduerti, quàm omnem operam luderem. Sed ue rißimũ illud in me ipso experior, qui semper domi ueluti in umbra sese continet, nec in hominum frequentiã progreditur, puerum animalem agere. Non raro demiratus sum, me ne pilo quidem doctiorem euadere, nullũ omnino progressum in me experiri. Et iam ueluti Epimetheus ille post factum prudentiam solidiorem sumo. BAL. *Nihil omnino posthabitum est. Tanto grauius in literas bonas incumbe, quanto serius eas uere adamare cepisti, imitare uiatores ipsos qui dum mane in diem usq; somnum protraxerũt, quã possunt celerrime, iter carpunt, tarditatem celeritate resartientes, & plærunq; citius eò, quò uolunt, pertingunt, quã illi, qui prima luce iter ingreßi sunt.* GAS. *Non ignoro nullam ad discendum seram ætatem esse, Sed tamen istud tuum studium, ego in lucro ponerem.* BAL. *Serere ne dubita, nõ paruus in literis prouentus tibi proueniet.* GAS. *Faciã ut iubes. Nihil non acturus, quo te aut æquem, aut superem.*

VVENCESLAVS ET HERMANNVS.

De coëmendis libris colloquuntur.

VVEN.

QVos tu putas, libros mihi parem? HER. *Ciceronis uelim libros, & Terentij Comœdias coëmeres, ex*

illis enim ſolidam eloquentiam haurire poſſes. VVEN. Qui hoc fit? Ego non ſatis intelligo. HEN. Paucis, aduerte, docebo. Ciceronis oratio & elegans et pura eſt. Terẽtius purus, terſus, quotidiano noſtro ſermoni proximus, & haud ſcio an citra balbutiem, quicquid in linguam uenerit, garrire poßis, niſi Terentij comœdias in manibus triueris. Nec uero meopte Marte hæc dico. Præceptoris mei iudicium eſt, quod ego hactenus non infrugiferum expertus ſum. VVEN. Et iam Bibliopolam accedam, illos libros coëmpturus. HEN. Exemplaria Terentij uaria ſunt, Melchior Lottherus, Calcographus in Lipſia, primi nominis, Terentium typis excuſit unà cum præfatione Philippi Melanchthonis, iuuenis præter ætatem eruditi. Et Frobenius Chalcographus in optimis quibusq; libris imprimẽdis, omnium diligẽtiß. in paruas paginas Terentium congeßit. Tu eme exemplar, quodcunq; collibitum eſt. Ciceronis aũt exemplaria apud Valentinum Schumannum ſiue græce appellare mauis Hypodymandrum Chalcographũ in Lipſia operæ infatigabilis, reperies. VVEN. Sat habeo, tu uale.

FINIS.

IMPENSIS PAVLI GOETZ, CIVIS
honeſtiß. ARGENTORATI *excudebat*
Chriſtianus Aegenolphus.
ANNO M.D.XXIX.

